

tempore mēsis, & alij hujusmodi. Si tertius pro suo interēse agens executioni se opponat, si tempore legitimo à sententia appellavit, suspenditur executio, donec causa sit decisa. *c. 17. b. t.* quia illi non nocet res inter alios acta. Si non appellavit, quia ignoravit causam agi, & sententiam esse latam, impeditur executio. Si scivit, sententiam esse latam, & non appellavit, neutriquam impeditur executio. Nam sibi debet ille tertius imputare, eo quod cum posset, noluit impedire, ne sententia in auctoritatem rei judicate transtiret. Denique sententia additionis lata in via executiva non causat exceptionem rei judicate quoad viam ordinariam: ac proinde facta reali executione, & cum effectu, remanet reo executio salva via ordinaria, si nolit ab executione appellare, ut notat *Acevedo in L. 1. tit. 21. lib. 4. R. C. n. fin. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 21. n. fin.* Quæ omnia habentur in *Tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Acevedo, Pichardo in Manduct. ad Prax. p. 2. Hevia in Cur. Philip. p. 2. per tot. Paz in Praxi, tom. 1. p. 4. cap. 1. & seqq.* qui de his latissime agunt: mihi tamen non licet diutius immorari: quia longa restat via.

265 Audacia, & temeritas litigatorum, qui sine pravia diligentia, nec causæ examine lites movent, debet absdubio iustis poenis coerceri. V. g. Si litigans intentato petitorio transeat ad possessōrium illo suspenso, vel si libellum mutavit, vel liti repantiavit, & in alijs casibus, qui arbitrio Judicis relinquuntur, censetur temerarius litigator, si nulla causa legitima excusetur: Et coercetur modo pecuniaria poena, modo juramento calumnie, modo infamiae poena. *Pr. Instit. de Poena temer. litigant.* regulariter ergo temerarius litigator damnatur solvere victori expensas litis: non quidem voluntarias, sed necessarias, sive personales, sive processuales. Personales censentur illi, quæ in itinere, & sumptibus testium sunt facta: processuales vero, quæ in litis prosecutione fiunt; Sicilicet in Tabellionum, & Advocatorum iustis stipendijs solvendis. *L. 8. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. En las costas.* Si tamen aliquis ex litigantibus sit Advocatus, & vincat, non sunt ipsi solvendæ expensæ, quas faceret, si alius Advocatus cum defenderet. Siquidem verè eas non fecit. Si pars petat, adversarium in expensas condemnari, vel expressè hoc petendo, vel tacitè, implorando, scilicet, officium Judicis, ut sibi fiat iustitia omni meliori modo, quo possit, tene-

tur Judex eum in expensas condemnare, alias teneatur eas victori restituere. *L. 13. §. 6. l. 15. C. de Judic.* Si tamen à parte non petatur, potest quidem Judex ex officio, sed non teneatur, eum in expensas condemnare. *L. 25. §. 8. ff. de edilit. edit.* Nam ad ejus officium spectat temeritatem litigatorum reprimere: quod si semel definitivè in expensas condemnavit, non potest suam revocare sententiam: gravatus tamen in taxatione appellare potest. Si per sententiam interlocutoriam condemnavit, potest revocare, & corrigere taxationem. *Durand. in Spec. tit. de Expens. §. 6. n. 3.* Post litum tamen finitam non possunt peti expensæ. *L. 3. C. de Fructib. & lit. expens. quia post absolutum, dimissumque judicium nefas est litem alteram consurgere ex liti prima materia.* In nostra Hispania victus excusatur ab expensarum condemnatione præstando juramentum calumnie, ex *L. 8. tit. 22. p. 3.* sed hæc Lex praxi ipsa interprete, intelligitur de casu, quo non temerè litigatur, vel si aliunde non constat de litigans calumnia. *Greg. Lop. ibid. V. La jura.* Expensæ quidem debent à judice taxari. *L. fin. tit. 22. lib. 4. R. C.* sed si litigantes sint pauperes ad expensas litis non teneantur, nec pro eis possunt in carcere detineri. *L. 20. & seq. tit. 12. lib. 1. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 9.* si tamen victus non temerè, sed ex justa causa litigavit, non est condemnandus in litis expensas; *arg. L. 78. §. 2. ff. de Legat. 2.* Nam causa justa ab expensarum solutione eum liberat; *arg. §. 1. Inst. de Poena temer. litigant: v. gr. si pro se habeat sententiam saltem unius celeberrimi Doctoris, vel si suam intentionem, vel exceptionem simplicem probavit.* Reus tamen in causa criminali non condemnatur in expensas: quia quolibet modo licet proprium sanguinem defendere. Si causa controversa valde difficilis sit, & pro utraque parte, Juribus, & Doctoribus fulcita, non condemnatur victus in expensas, etiam si in prima, & secunda instantia succumbat. Quippè talis error probabilis censetur, nec potest dici temerarius litigator. *c. 48. de Sentent. excommunicat.* Et per consequens à solvendis expensis excusabitur, qui in prima instantia vicit, licet sit victus in secunda, facta quadam expensarum compensatione.

266 Si pars, contra quam fuit lata sententia, velit probare, eam nullam esse, hoc debet facere coram eodem Judice causæ, in judicio quidem contradictorio cum

cum adversario. *L. 1. C. de Sentent. & interloc. c. 2. de Purgat. vulgar. L. 1. tit. 26. p. 3. Paz in Praxi, tom. 1. p. 1. temp. 12. ex n. 5.* quod si Judex pronuntiet, illam sententiam esse validam, non potest litigans amplius agere de hujus novæ sententiæ nullitate, sed debet ab ea appellare. Et tunc à sententia in gradu appellationis lata non datur recursus nec per viam nullitatis, nec per appellationem, ut sic finis litibus imponatur. *L. 2. tit. 17. lib. 4. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. n. fin.* De causis ob quas sententia nulla potest dici, & ad nullitatem agi, latè tractatur in *tit. 26. p. 3. & tit. 17. lib. 4. R. C.* Et quidem nullitas de Jure Communi potest adversus sententiam opponi perpetuo. *L. 1. C. Quand. provocat.* Idem erat olim de jure Hispano. *L. 4. tit. 26. p. 3.* scilicet tamen hodie. Nam solum potest nullitas opponi intra sexaginta dies enumerandos à die intimationis sententiæ. *L. 2. tit. 17. lib. 4. R. C.* nisi forte nullitas proveniat ex omnimoda incompetencia. Hæc namque quocunque tempore potest opponi. Idem est de quacunque nullitate notoria ex actibus constante, ut ex defectu citationis. Nec est necesse à tali sententia appellare: potestque opponi etiam contra tres sententias conformes. *L. 3. & seq. tit. 26. p. 3.* nisi tales sententiæ sint late in Regijs Cancellarijs. *L. 4. tit. 17. lib. 4. R. C.* ibi: *Y que asimismo en todos los casos, y negocios, que conforme à las leyes de nuestros Reynos, las Sentencias dadas por los del nuestro Consejo, y Oidores de las nuestras Audiencias, se han de executar, sin embargo de suplicacion: aquello se entienda asimismo, sin embargo de qualquiera nulidad, aunque se diga, y alegue ser de incompetencia, ò de defecto de jurisdiccion, ò de que notoriamente consta de los Autos del processo, ò en otra qualquiera manera, que la tal alegacion, oposicion, ò otra qualquiera no puea, ni pueda impedir la execucion de las tales Sentencias.* Et ibid. *Acevedo. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 2. ex n. 83. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 13.*

T I T. XXVIII.

De Appellationibus, recusationibus, & relationibus.

267 Appellare in communi Grammaticorum usu idem est, ac vocare. Sic dicitur, quod filius Regis

vocatur, vel appellatur Ferdinandus. Appellare verò apud Philosophos est aliquid terminum applicare potius ad unum, quam ad alterum ex his cum quibus ponitur. Sic cum dicimus: *Alexander est magnus Philosophus.* Ly magnus applicatur Philosopho. E contra vero quando dicitur: *Alexander Magnus est Philosophus.* Ly magnus Alexandro applicatur. Et sic dicitur, hoc, vel illo modo appellare. In jure quidem aliquando sumitur pro eo quod est *vocare in judicium.* Frequentissime tamen sumitur prout in præsentibus, tenet pro *provocare.* Et hac ratione communiter appellatio sic definitur. *Appellatio est ab inferiori ad superiorem Judicem ob gravamen illatum, vel inferendum legitime facta provocatio.* *L. 17. ff. de Minorib. l. 1. tit. 23. p. 3. ibi: Alzada es querrela, que alguna de las partes face de juicio, que fuesse dado contra ella, llamando, è recorriendo se à emmienda de mayor Juez.* Et quidem oppreisus est saluberrimum remedium, non tam jure, quam ipsa natura introductum, ut gravamen oppreisus illatum, vel inferendum removetur. *c. 15. b. t.* & ut corrigatur iniquitas, vel imperitia judicantium. *L. 1. ff. b. t. l. 1. tit. 23. p. 3.* Et insuper, ut litigans, qui per ignorantiam, vel negligentiam est læsus suum damnum reparat. Ipsa etenim est defensionis innocentie: adeo, ut *D. Bernard. ad Eugenium*, dicat. *Fateor, grande, & generale inundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quam solen ipsum mortuilibus.* Et Rex noster Alfonso, in Proemio. *Tit. 23. p. 3. ait: Onde por esto decimos, que bien assi como los que peligran sobre mar, han muy gran conorte quando fallan alguna cosa en que se traven, ò lugar à que arriben, por cuidar entonces de aquel peligro: Otrrosi los que van vencidos de sus enemigos, quando llegan à lugar en que asnan de ser defendidos de aquellos que los siguen para matarlos: bien otrrosi ban gran conorte, è gran folgura aquellos contra quien dan los juicios de que se tienen por agraviados quando fallan alguna carrera, porque cuidan esforcer, ò ampararse de aquellos de quien se agravian.* Hinc licet appellatio quoad solemnitates, & modum, sic Juris Civilis, quoad substantiam tamen est Juris Naturalis. *c. 5. de Exception. Pichardo in Manduct. ad Prax. p. 4. in preclud. n. 26.* Appellatio est duplex: alia extrajudicialis, judicialis alia. Extrajudicialis est, qua quis appellat à quocunque privato, qui gravamen infert, vel est paratus inferre, ut in præsentatione, collatione, vel electione. *c. 19. c. 29. de Election. c. 5. c. 46. c. 51. b. t.* vel in delatione mu-

neris publici. *L. 1. §. 2. ff. quando appelland. L. 7. C. b. t. l. 18. tit. 23. p. 3.* Hæc appellatio magis, quam appellatio dicitur *provocatio, monitio, seu requisitio.* Hispani: *Requesita, & requerimiento.* Etiam extrajudicialiter appellatur à Judice extrajudicialiter procedente: v. g. in possessione danda, vel in tutela deferenda. Sed cum hæc improprie sit appellatio, in materia odiosa nomine appellationis non comprehenditur, nec invalidat ut attentata, ea, quæ sunt, ipsa pendente, nisi repugnent ipsi appellationi. *Judicialis* autem est illa, quæ in actibus judicialibus interponitur, in quacumque litis parte. Et hæc est proprie appellatio.

268 Omnis igitur oppressus, seu gravatus per sententiam etiam si directe contra ipsum non sit lata, potest à tali sententia, seu gravamine regulariter appellare. *c. 3. c. 30. 2. q. 6. L. 20. l. 30. C. b. t. l. 2. tit. 23. p. 3.* Et non solum victus, sed etiam victor potest appellare, quando scilicet sententia continet varios articulos, & alius est contra rem, alius contra actorem. Imò, & in eodem articulo, si uterque se gravatum sentiat, uterque potest appellare. *c. 7. b. t. c. 18. de Testament. l. 9. l. 14. tit. 23. p. 3.* Etiam excommunicato licet appellare, cum hoc ad defensionem naturalem tendat: quin imò etiam si quis jurasset, se non appellaturum à sententia quomodocumque sit lata, nihilominus appellare potest à sententia notorie injusta. *c. 20. b. t. quia juramentum imbibit conditionem; si juri non sit manifeste, & notorie contraria. Si tamen injuria non sit notoria, & causa sit civilis proprium appellantis interesse concernens, non poterit appellare, qui sic juravit, quia promissio licita qualis est hæc. c. 39. b. t. si juramento roboratur debet omnino adimpleri. c. 28. de fur. jurand. Et sic facile concordantur text. in c. 20. & 21. b. t. quorum decisiones contrariae apparere videntur. Potest etiam accidere, quod aliquis à sua sententia appellet: v. g. si Judex contra Titium sententiam tulit, quia Titius non factis probavit suam intentionem, & postea ipse Judex Titio succedat in causa, vel in munere, & videat probationem habere sufficientem, potest à sententia, quam ipse tulit appellare. *Gloss. in l. 1. ff. de Exception. rei vindict.* Etiam appellat principalis à sententia contra procuratorem non appellatorem, lata *L. 4. §. 2. ff. b. t. l. 2. tit. 23. p. 3.* Et fidejussor pro eo, pro quo intervenit: maritus etiam appellat à sententia lata contra socerum super dote:*

creditor, si ipso ignorante, alij ad Judicem pignus; *arg. L. 63. ff. de Re judicat.* Similiter appellant legatarius pro hærede condemnato, hæres pro cohærede, venditor pro emptore super proprietate victo, Tutor pro pupillo, curator pro minore, procurator pro principali, modo irritatum id postea habeat. *c. 14. de Procurat. Pater pro filio, & filius pro patre. c. 30. 2. q. 6. Dominus pro subdito, vel servo suo. L. 15. b. t. Episcopus, vel Abbas pro Clerico, vel Monacho suo: Clerici, & Monachi in causis suarum Ecclesiarum. L. 2. & seqq. tit. 23. p. 3.* Et ratio est, quia licet sententia non sit directe contra prædictos, saltem indirecte eis præjudicat: ac proinde illorum interest, vel nomine proprio, vel saltem alieno. Pro eo, qui ad supplicium ducitur, quilibet, etiam extraneus potest appellare. *L. 29. C. b. t. quia omnium interest innocentem defendere.* Ita tamen, ut consanguineus possit pro consanguineo, etiam invito, appellare: extraneus tamen licet possit pro condemnato ad mortem, etiam sine mandato appellare, non tamen potest eo invito. *L. 6. tit. 23. p. 3.*

269 E contra verò appellare nequeunt: in primis, qui expressè in sententiam consentit, vel saltem tacite, non appellando tempore legitimo. *c. 20. de Offic. Deleg. Nec ille, contra quem tres sententia conformes in eadem causa super eodem articulo sunt lata. c. 65. b. t. l. un. C. Ne liceat in una ead. L. 25. tit. 23. p. 3. l. 5. tit. 17. lib. 4. R. C. Pichard. in Manud. p. 4. præcept. 13. & alij communiter.* Et sane licet convictus tantum, vel tantum confessus possit appellare: *Gregor. Lop. in l. 16. tit. 23. p. 3. V. De la Sentencia.* tamen plenè convicto simul, & confessio appellare non permittitur. *L. 2. C. Quorum appellat non recip. Anton. Gom. 3. Var. cap. 13. n. 31.* Et sic debet intelligi illud: *Non est confessi causa tuenda rei.* Nec item possunt appellare rei notorii alicujus criminis. *c. 13. b. t. nec Latrones publici, nec commoventes seditionem, vel eorum duces, vel principales factores, nec raptores virginum, nec falsantes monetas, vel Regium, Sigillum, nec venefici, nec alevoti, nec proditores, vel alij similes delinquentes, si de his delictis sint convicti legitime, vel legitime confessi: Hi etenim non gravantur injustè, ac proinde potest eis denegari appellatio: quin & maxime expedit tales delinquentes statim puniri, ne eorum exemplo Republicam corruptant. L. 16. ff. b. t. l. 16. tit. 23.*

p. 30. Pichard. in Manud. p. 4. in prela d. potest tamen Judex aliquando eos non condemnare, nisi sint convicti, & confessi copulative. Pichard. in Manud. p. 4. præcept. 1. n. 7. & alij. Nec appellare item possunt, qui sunt condemnari ob veram contumaciam, qui scilicet, tribus Edictis, vel uno præemptorio citati dixerunt, se nolle comparere. *L. 23. §. fin. ff. b. t. l. 9. tit. 23. p. 3.* Indignus siquidem est, ut à Judice audiat, qui Judicem audire nolit: ac proinde aliquando non auditur, qui sic vocatus noluit comparere, nisi legitime causam postea probet. *Pichard. in Manud. p. 4. præcept. 1. n. 6.* Nec appellare potest, qui legitime adversarij appellati in eadem causa, (secus in diversa non connexa *arg. c. 55. b. t.*) non detulit. *c. 23. c. 42. b. t. ut sic patitur Legem, quam ipse tulit. c. 6. de Constitut. Licet condemnatio in secunda instantia unus ex socijs in lite, qui à prima sententia appellavit, non nocet cæteris socijs litis, qui primam sententiam acceptarunt. *Gloss. in c. 24. 2. q. 5. V. Profructus, arg. c. 5. de Adulter.* ne si ille, qui appellavit, forte in secunda instantia, vel falsis instrumentis convineatur, vel erret, vel metui confessus sit, hoc nocet alijs, qui primam sententiam non inspugnarunt, & forte innocentes sunt: ac verò si à sententia condemnatoria in prima instantia contra plures litis correos lata unus solus appellet, cæteri verò, nec expressè, nec tacite eam approbaverunt, & talis appellans obtineat coram Judice appellatiis, illius victoria Jure Communi omnibus suffragatur. *c. 72. b. t. L. 10. §. fin. ff. eod. l. 5. tit. 23. p. 3.* Et hoc locum habet etiam si causa non sit individua, quamvis in prima instantia hoc requiratur, ut sententia pro uno lata cæteris proficit. Et in hoc differt causa appellatiis à prima instantia. Quippe semel rescissa sententia in secunda instantia necesse est, quod omni vi destitutatur, etiam quoad non appellantes. Et non potest eadem sententia pro uno esse vera, & pro altero, qui eodem jure utitur esse falsa: ac proinde hoc ipso, quod in secunda instantia sententia pro uno feratur, prodest cæteris socijs damnatis in eadem causa per primam sententiam. Quod quidem est verum, si eodem Jure Communi omnes utantur; nam si diverso utantur jure, quia alius: v. g. sit minor; vel si negotium est diversum, vel appellans habeat diversam defensionis causam: Tunc enim cum diversa sententia censentur, victoria*

uni us alijs non prodest, ut res inter alios acta: Insuper est necessarium, quod alter ex correis, qui non appellavit, non approbavit sententiam prima instantia expressè, vel tacite. Si enim eam approbavit, nequit illi prodesse sententia in secunda instantia, cum respectu illius prima sententia in auctoritate rei judicate transisset. *Pichard. in Manud. p. 4. præcept. 1. n. 7.*

270 Appellatio varijs modis fieri potest. Profectio non solum verbis, sed etiam facto ipso interponitur: v. g. iter ad Superiorem arripiendo. *c. 52. h. t. l. 7. de Dolo, contin. Appellatio ergo à sententia definitiva solet aliquando incontinenti interponi, Judice adhuc sedente pro Tribunali, viva voce dicendo: appello. *L. 2. ff. b. t. l. 22. tit. 23. p. 3. ex intervallo interponitur porrigendo libellum in scriptis. L. 5. §. fin. ff. b. t. l. 22. tit. 23. p. 3.* In quo appellatur, vel per verba expressa: *appello, vel provoco, vel per æquivalentia: v. g. Superioris judicio, me committo. c. 24. b. t.* In prædicto igitur libello debet contineri: quis appellet; contra quem; & sententiam à qua. *c. 31. 2. q. 6.* Si non exprimitur, quia non est necesse, *Judex, ad quem, cæterum appellatum ad quem de jure debet appellari. L. 22. tit. 23. p. 3.* Idem à fortiori est, quando quis sic appellat: *Appelo parante quem con der echo puedo, y debo.* Nec debet appellatio esse incerta, conditionalis, vel alternativa: sufficit tamen, si tempore, quo peccatur Apostoli, vel pars adversarij citatur, declaratur Judex, ad quem appellatur. Et in dubio presumitur, quod ad immediatum appellatur, quando ad plures potest appellari. *Pichard. in Manud. p. 4. præcept. 9.* Nomen *Judicis à quo* regulariter exprimitur, potest tamen omitti, sicut etiam allegari in specie ad appellandum, quia *Judex à quo*, utpotè suo officio functus non potest de ea cogitare, ac proinde frustra in specie allegaretur, nisi forte appelleretur in casibus prohibitis, vel à jure, vel ab homine. Nam tunc Judex non tenetur appellatiioni deferre, nisi juxta causam allegetur, cum præsumptio stet contra appellantem. *L. n. §. fin. ff. b. t. ibi: Libelli, qui dantur appellatorijs ita sunt concipiendi, ut habeant scriptum, & à quo dati sunt, hoc est, qui appellet, & adversus quem; & à qua sententia. L. 22. tit. 23. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.**

271 Appellatio à sententia interlocutoria simpliciter, id est, quæ vim definitivam non habet, debet in scriptis fieri, saltem ea, quæ interponitur ad Papam. *c. 1. b. t.*

b. t. in 6. Et debet exprimi in specie causa appellandi, quæ legitima sit, & rationabilis, ut sic debitus honor *Judici à quo deferatur*, & si revocet, visa iustitia causæ, sententiam interlocutoriam, procedat in causa. *c. 59. b. t. c. 1. b. t. in 6.* Et quidem tantum ex causa in appellatione expressa, non ex alijs de novo probandis, licet notoriè appellanti faveant, est iustificanda appello. *c. 62. b. t. Cl. 5. eod.* Appellans tamen à sententia definitiva, vel ab interlocutoria vim habente definitiva, non interdicitoria, vel diximus causam appellandi in specie exprimere; sed si aliquam exprimat potest adhuc coram *Judice ad quem*, non litem causam exprellam, sed & alias non expressas prosequi: Imò novos testes, novaque instrumenta producere, non allegata allegare, & non probata probare. *c. 10. de Fide instrum. l. 6. §. 1. C. b. t.* Et licet appellatio extrajudicialis, (in qua à futuro gravamine potest appellari) possit per consequens interponi generaliter ab omni gravamine, quo sibi possit inferri, & causa ad Superiorem devolvatur: at vero appellatio judicialis non valet tanta generalitate interponi; nec item super omni causa, quæ contra appellantem possit aliquando moveri. *c. 2. b. t.* Quippè sic appellans à nullo gravamine appellat, cum nullum, nec alicujus comminatio urgeat scèus est si ab aliquo *Judice* appellatur super omni gravamine, quod in una causa appellanti possit inferri. *c. 18. b. t.* Nam ex eo, quod in uno articulo à *Judice*, à quo gravatur appellans potest totam causam ad Superiorem per viam appellationis deferre.

272 Quando sententia notoriè est nulla ab ea non appellatur, sed coram ipso *Judice*, qui illam tulit agit de ejus nullitate: nec est necesse per appellationem rescindere quod nullum est. *L. 19. ff. b. t.* ut jam diximus. In dubio tamen de nullitate sententiæ solet peti alternativè, quod nulla declaratur, vel corrigatur si est valida. Quando enim sententia valet, sive causa sit criminalis, sive civilis ab ea potest appellari. *c. 5. b. t.* sive etiam magni, sive parvi momenti sit. *c. 11. b. t. l. 20. C. eod.* In Nostra Hispania non conceditur appellatio in causis non excedentibus summam mille marapetinarum; sed in eis summarè, simpliciter, & de plano, absque libello sola veritate attenda proceditur, exceptis penis alicujus Ordinationis. *L. 24. tit. 9. lib. 3. R. C. qua corrigitur l. 19. ejusd. tit.* In causis, quæ non excedunt summam triginta millium mara-

petinarum potest interponi appellatio ad Capitula Civitatis, seu Decurionum. *L. fin. tit. 18. lib. 4. R. C.* Tamen in Indijs hoc vix est admissam, præcipue in Civitatibus, ubi sunt Cancellaria Regia. *Solorzani. Polit. Indian. lib. 5. cap. 1. fol. 752.* Etiam in alijs Provincijs non admittitur appellatio, quando causa est parvi momenti, ne lites differantur, & litibus Tribunalia obruantur cum quietis publicæ præjudicio. Olim quidem de Jure Canonico licebat utique à sententia interlocutoria appellare. *c. 1. t. 4. 2. q. 6. c. 10. c. 59. c. 60. b. t.* scèus de Jure Civili. *L. 7. C. Quorum appellat. l. 13. tit. 23. p. 3.* Sed hodie ex *Trident. sess. 13. de Reform. cap. 1.* non appellatur ab interlocutoria, nisi vim definitive habeat, quia post eam alia non speretur sententia. *L. 39. ff. de Minor. v. g. si *Judex* absolvat ab instantia *Judicij*, vel si *Judex* inferior se competentem pronuntiet (nam à sententia supremi *Judicis*, qui se competentem pronuntiat, non datur appellatio, nec supplicatio. *L. 4. tit. 15. lib. 4. R. C.*) vel si gravamen irreparabile per appellationem contineat, ut sententia de tortura: in his enim casibus utroque jure admittitur appellatio ab interlocutoria: in alijs vero repellitur. *L. 17. tit. 23. p. 3. l. 3. tit. 18. lib. 4. R. C.* ubi alij casus referuntur. Aliquando enim accidere solet, quod in Rescriptis Supremorum Principum causa delegetur eum clausula: *Appellatione remota.* Alij autem *Judices* inferiores non possunt talem clausulam apponere: nam hoc est Superioris, ad quem appellatur jurisdictionem restringere. *L. 1. §. fin. ff. A quib. appellan. l. 13. tit. 23. p. 3.* Hæc quidem clausula in sine rescripti posita omnes illius rescripti clausulas, & articulos comprehendit, in medio tamen ad antecedentes tantum refertur. *c. 71. b. t.* Nec per hanc clausulam, quamvis generalis ad totum rescriptum sit, tollitur omnis omnino appellatio, quatenus ad defensionem pertinet naturalis; *arg. c. 5. de Exception. Nec solum appellatio trivialis, ut aliquid tenent: ne sit otiosa prædicta clausula, siquidem appellatio trivialis, & frustratoria, etiam sine prædicta clausula, debet repelli. c. 53. b. t.* remouentur ergo per illam appellationes juxta, illis exceptis, quæ specialiter à jure conceduntur. *c. 53. b. t. ibi: Quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expressè. Sed si appellans fuerit gravatus injustè, gravamen hujusmodi per Superiores poterit emendari. Juxta igitur causæ ad appellationem conceden-**

dem sunt hæc: si citans ad locum non ritum, non admittat hanc exceptionem. *c. 47. b. t.* Si *Judex* denegat restitutionem spoliato. *c. 10. de Restit. spoliator.* Si non faciat, res in libello petitas, declarari. *c. 49. b. t.* Si *Judex* recusatus ex justa causa noluit talem exceptionem recipere. *c. 36. b. t.* & in alijs hujusmodi casibus. Præterea, hæc clausula, *appellatione remota*, non tollit appellationem, quoad effectum devolutivum, sed tantum quoad suspensivum. Et hæc clausula solum afficit sententiam definitivam, non verò interlocutoriam de re incidenti. Et respectu tertij pro suo interesse, nec definitivam tollit. *c. 15. de Offic. Deleg.* nec extenditur ad petitionem restitutionis, nec ad supplicationem. *Greg. Lop. in l. 13. tit. 23. p. 3. V. Tomar alzada. Picard. in Manud. p. 4. præc. 7.*

273 In varijs tamen casibus appellatio omnino repellitur: & quidem 1. in delictis notorijs. *c. 5. §. Præterea. c. 13. c. 14. b. t. l. 16. tit. 23. p. 3.* siquidem appellatio non ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentia est instituta. *c. 61. §. Porro. b. t. 2.* à poena definita à *Legge. c. 32. b. t.* quia *Lex* neminem gravat injustè, nisi fortè *Judex* excedat, vel in poena, vel in modo; *arg. c. 43. b. t.* Etiam potest appellari à declaratione, quam *Judex* facit de poena à jure lata. *Glof. in l. 244. ff. de V. S. 3.* à mero executore non valet appellari. *c. 43. b. t.* nisi modum executionis excedat: v. g. si executionem faciat in re non judicata, vel non servato juris ordine in mobilium, & immobilium distractione, vel si velit interpretari sententiam. Quippè in his casibus gravat, ac proinde potest appellari. *c. 15. de Sentent. & re judicat. 4.* à correctione Superioris Ecclesiastici, vel Regularis, quæ fit juxta Sacros Canones, vel regulam Religionis nequit appellari. *c. 3. c. 26. b. t. Trident. sess. 13. de Ref. cap. 1.* nisi in modo superiores excedant. *c. 13. de Officio Ordin. c. 31. b. t.* quia neque Canones, neque regularis injustè gravant. 5. nec admittitur officialis appellatio: v. g. si *Nuntius*, vel *Tabellio*, vel *Executor* sint condemnati à suo *Judice* ob officium malè gestum neutriquam valent appellare. *L. 3. C. Quor. appellat. non recip.* Nec item officiales in *Syndicatu* condemnati, ut sic melius suis utantur officijs. 6. Etiam excluditur appellatio à mandato de residendo in Ecclesia, quam quis obtinet. *c. 28. b. t. 7.* nec subditus excusatur, quominus teneatur Superiori obedire ob appellationem frivo-

lam, sed potius puniendus est. *c. 19. b. t.* Appellatio à censura excommunicationis, interdicti, & suspensionis à Divinis, lata post appellationem, licet quoad effectum devolutivum admittatur, ut Superior de justitia censuræ cognoscat, non tamen admittitur quoad effectum suspensivum: ac proinde sententia non suspenditur. *c. 37. b. t. c. 20. in fin. de Sentent. excom. in 6.* quia censura secum trahit executionem sententiæ, statimque animam ligat, ut hoc modo magis timeantur Ecclesiastica censura, quæ sanè sunt efficaciora Ecclesiæ arma. Suspendio verò, vel interdictum ab ingressu in Civitatem, à perceptione fructuum, à voce activa, & passiva, & ab alijs hujusmodi, certè per appellationem suspenduntur. Censura verò lata à *Judice* post appellationem ab eo interpositam, nulla est: ac proinde non ligat ex defectu jurisdictionis in ferente illam: quippè per appellationem est *Judicis* suspensa jurisdictione. *c. 16. b. t. 8.* Quando causa est decisa per juramentum voluntarium non admittitur appellatio: quia habet rationem transactionis, à qua non appellatur. *L. 16. C. de Transaction.* At vero, quando est decisa ex juramento suppletorio, admittitur utique appellatio. *L. 31. ff. de Jure jurand. 9.* Nec appellatur à sententia, qua *Judex* mandat, testamentum aperiri, vel hæredem institutum mitti in possessionem hæreditatis. Nam modicum gravamen ex hac sententia potest inferri, & aliunde publicè expedit ultimas defunctorum voluntates servari. *L. fin. ff. de Appellat. recip. 10.* Nec admittitur appellatio suspensiva contra electionem, vel confirmationem. Sed electus, non obstante appellatione (quæ præsumitur malitiosa ad retardandam investituram) in possessionem pacificam mittitur. *c. 46. b. t.* nisi appellans alleget causam rationabilem, v. g. defectum notorium proprietatis: vel qui possit incontinenti probari. 11. In possessorio momentaneo, in quo summarè proceditur, & solum ad interim datur rei detentatio, cum non magnum inferat præjudicium, quinimò hoc facile reparabile sit per ordinarium possessorium, non admittitur appellatio quoad neutrum effectum. *L. un. C. de Moment. possess. Trident. sess. 13. cap. 1.* licet aliud videatur de jure antiquo, in *c. 5. c. 12. b. t.* ubi appellatio à quocumque gravamine conceditur. At verò in possessorio ordinario, ubi juris ordine servato, pronuntiat de possessione, appellatio profectò admittitur, & per ipsam suspenditur sententia. *c. 10. c. 15.*

de Restit. spoliator. Nam magnum commodum, vel præjudicium sequitur ex possessione rei, vel ejus carentia. Fere idem est de Jure Hispano, ut colligitur. ex *L. 9. l. 10. tit. 7. lib. 5. R.C. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 12.* Nec item admittitur appellatio in causa decimarum. *c. 26. in fin. de Decim. nisi Parochianus ostendat exemptionem.* Nec à nominatione ad munera autoritate publica, sed utilitate privata facta, v. g. ad tutelam. Nam alleganda est exculatio, quod si hæc non admittatur appellandum est. *L. 1. §. 1. ff. Quam appelland. secus est, si nominatio facta sit autoritate, & utilitate publica: quippe tunc appellare licet à tali nominatione. L. 2. C. de Decurion. 13.* Quando causæ dilationem non admittunt, ut causæ alimentorum in futurum: nec salaria famulorum appellationem admittunt, saltem suspensivam. *L. fin. ff. de appellat. recipiend. l. 6. tit. 18. lib. 4. R.C. 14.* Licet ante sententiam possit appellari, nequiquam post eam, in criminibus hæreticis. *c. 18. de Heret. in 6. falsæ moneta. l. 1. c. de Fals. monet. læsæ Majestatis. L. 16. ff. b. t. & raptus. L. un. V. Sin autem. C. de Rapt. virgin. l. 16. tit. 23. p. 3.* Denique rejicitur appellatio frivola, vel frustratoria, quæ ex levi causa, vel solum ad protrahendum judicium interponitur. *c. 53. b. t. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 14. & alij.*

274. Litigans ergo, qui à Judice inferiori se in sententia lata sentit gravatum absdubio, potest ad appellationis remedium confugere. *L. 32. C. b. t. c. 3. c. 8. 2. q. 6.* quin ex hoc debeat Judex injuriam sibi fieri existimare. *L. 20. C. b. t.* Et ille Judex inferior, à cuius sententia quis appellat, dicitur: *Judex à quo.* Et quidem coram ipso debet pars appellare. *L. 22. t. 23. p. 3.* alioquin nullum omnino effectum habet appellatio. *Barbo. in C. fin. b. t. n. 17.* Et hoc quidem fit, ut ipsi Judici innotescat appellatio, & non progrediatur in causâ. Si à pluribus Judicibus est lata sententia, coram omnibus simul congregatis appellatur: quod si omnium non potest haberi copia, coram majori parte, vel coram illis, vel eo, cujus habetur copia appellatur. *Cl. 1. b. t.* Si nullius copia habetur, coram *Judice ad quem* appellabitur. Si nec illius copia possit haberi, appellatur coram viris honestis, vel Notario, qui testibus adhibitis, de tali appellatione instrumentum conficiet. *c. 29. §. Si quis, 2. q. 6.* Sed sic appellans debet protestari, quod appellat coram *Judice à quo*, si ejus habuisset copiam, & postea ipsi est intimanda ap-

pellatio, nisi aliunde haberet notitiam. Si ob metum gravem cadentem in virum constantem (tecus ob metum levem) non audeat gravatus coram *Judice à quo* appellare, vel ex alio justo impedimento non possit: tunc coram Tabellione, vel viris honestis protestationem faciet de eo quod non audeat, vel non potest coram *Judice à quo* appellare, expressâ quidem appellationis causâ. Et hæc protestatio intra decendum facta loco appellationis habetur. *C. fin. b. t. l. 22. l. 27. tit. 23. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 5.* cum igitur appellatio sit ab inferiori ad Superiorem Judicem provocatio, manifestum est, quod à Papa, qui Ecclesiæ Princeps Supremus est, non potest appellari. *c. 15. c. 16. c. 17. q. 3.* nequidem ad Concilium Generale futurum, cum hoc non sit Papa Superius: imò sic appellantes excommunicantur *in cas. 2. Bull. Cæn.* quia ut Pontifex ait *in c. 15. q. 3. Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus. Et in c. 17. q. 3. Cuncta per Mundum novis Ecclesiis, quod Sacro-Sancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus licet judicare jure. Siquidem ad illam de qualibet Mensâ parte appellandum est: ab illa autem nemo appellare permittitur.* Nec item licet appellare à Concilio Generali approbato à Pontifice. *L. 4. C. de Sum. Trinit.* Nec à toto Collegio Cardinalium, nec ab ultima sententia Rotæ appellatur. Similiter in Judicio Seculari non appellatur à Principe Supremo, nec ab ejus Tribunalibus Supremis ipsum immediatè representantibus. *L. 1. §. 1. & 2. ff. A quib. appellat. l. 17. tit. 23. p. 3.* ac proinde in nostra Hispania non appellatur à Supremis Consilijs, seu Senatibus Curie Regiæ, nec à Regijs Cancellarijs habentibus Regium sigillum. Et idem evenit in Indijs, quamvis Cancellariæ, etiam Audiencia nuncupentur, sed in Re Cancellariæ sunt omnes Indiarum Audiencia. Sed licet remedium ordinarium appellationis in his casibus non detur, loco ejus succedit remedium extraordinarium supplicationis, qua petitur, allegata latione, ut Princeps causam iterum videat, & retractet sententiam à se latam. Et solum post sententiam definitivam admittitur, nisi in certis casibus. *L. 2. C. de lite pendens.* Et solum semel permittitur supplicatio. *L. 5. C. de Precib. imperator. offer. Et ibid. Gotthofr. l. 1. & per tot. tit. 19. lib. 4. R.C.* Nec item admittitur appellatio à compromissario, seu arbitratore. *L. 17. tit. 23.*

p. 3. secus ab arbitrio Juris: nam ab hoc appellatur. *c. 11. de Offic. deleg. in 6.* Ab arbitrio enim potest appellari: at verò ab arbitratore potest peti reductio ad arbitrium boni viri. *L. 4. tit. 21. lib. 4. R.C. Et ibid. Acced. & alij com.* Nec ab Episcopo, cujus jurisdictione est prorogata, appellatur. *L. 8. C. de Episcop. Audienc.* secus est ab alio Judice. *c. 14. de Sentent. & re judic. l. 23. ff. b. t.* Ex hucusque dictis clare constat, quod *Judex ad quem* appellatur debet necessario esse *Judex à quo* Superior: licet non semper in dignitate, & officio, saltem respectu causæ appellationis: Nec sufficit, si sit equalis: nam solus Superior potest inferioris factum corrigere. *c. 16. de Majorit. & obed. ut per appellationem fit: quod adeo verum est, ut non valeat consuetudo appellandi ad minorem, nec ad æqualem Judicem: Hoc sanè esset contra appellationis naturam. Greg. Lop. in l. 1. tit. 23. p. 3.* Appellatio igitur est ab inferiori ad Superiorem Judicem necessario interponenda: & quidem gradatim ad immediatum, nullo omisso, ne videatur ipse contemni. *L. 18. tit. 23. p. 3.* Sed si defecto appellans saltaret, & ad immediatum appellaret, adversario nihil opponente, probabiliter valeret appellatio; *arg. c. 66. b. t. Et Gloss. in d. V. l. off. hujusmodi. Innocent. & Hostiens. quos citat Margin. & sic à Gloss. interpretatur Text. in c. 7. de Præben. ubi ab Archiepiscopo fuit ad Archiepiscopum Rhenensem appellatum. Vel si majori die cum *Glossa in d. c. 7. V. Ad Archiepiscopum*, in ea Ecclesia talem consuetudinem vigere. Deinde *in l. 18. tit. 23. p. 3.* dicitur, quod si quis per errorem omisso medio, appellet ad Judicem majorem, vel æqualem, imò & minorem Judicem, ad quem esset appellandum: non verò minorem respectu Judicis, à quo est appellatum: valet appellatio ad hoc, ut ipsa remittatur Judici ad quem, attento jure, erat appellandum, & qui fuit omittus per errorem. *Gregor. Lopez ibid.**

275. Hinc ad gradus, quibus regulariter in appellatione proceditur, descendendo sic communitè, & regulariter appellatur in judicio Ecclesiastico. Ab Archiepiscopo, & Archipresbytero ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem, & Sedevacante, ad Capitulum, vel ejus Vicarium. *c. 3. §. 1. b. t. in 6.* ab Episcopo non Exempto, vel Capitulo, Sedevacante, & à Vicarijs Generalibus utriusque appellatur ad Archiepiscopum. *c. 11. de*

Offic. Ordin. c. 3. §. 8. b. t. in 6. Et in hoc differt appellatio à recusatone, siquidem recusatone Vicarij Episcopi coram ipso Episcopo proponitur, & probatur. *c. 4. de Offic. delegat. in 6.* cum in alijs recusatone appellationi æquiparetur. *c. 12. b. t. A Vicario Generali Episcopi, quem Officialem, seu Provisorum vocamus, non appellatur ad Episcopum, quia idem utriusque est Tribunal: attamen à Vicarijs Foraneis, vel Commissarijs Episcopi, rectè ad Episcopum appellatur, quia ipsorum non est idem Tribunal. c. 4. de Offic. deleg. in 6.* Et hæc ratio in foro Seculari à Proprietore, Hispanè: *Alcalde Mayor, & Teniente de Corregidor*, non appellatur ad ipsum Prætorum, quia utriusque idem est Tribunal. *Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 1. n. 9. Covarr. Acced. & alij*, ab Archiepiscopis appellatur de Jure Communi ad Patriarcham, vel Primatem, cui subduntur, à Patriarcha ad Legatum Sedis Apostolicæ, ab hoc ad Papam, & sic gradatim ad immediatos Superiores procedit appellatio: non quidem saltando, sed suo ordine ascendendo. Cum tandem causâ ad Papam pervenit, ab Auditore Camere examinatur, qui quidem est Judex Ordinarius omnium appellationum, quæ à sententijs extra Curiam latis interponuntur. Si causâ sit spiritualis: v. g. beneficij, vel matrimonij pertinet ad signaturam justitiarum, & Auditores Sacre Rotæ. *Gonzal. in c. 7. b. t. A Tribunalibus S. Inquisitionis ad Papam appellatur. Sed in nostra Hispania ad Supremum Inquisitionis Tribunal appellatur. Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 1. n. 7. Simane. de Cathol. Inst. tit. 36. Diana in Sum. V. Appellatio, n. 12. Carena, & alij.* In his Indiarum Regnis est peculiare jus quoad appellationis in foro Ecclesiastico statum. Nam in quacunque causâ sive Civili, sive Criminali ab Episcopo suffraganeo necessario appellatur ad Metropolitanum, & non potest appellari ad Papam. Quod si Metropolitanus sit Judex causæ in prima instantia: ab eo appellatur ad Episcopum vicinorem, tanquam ad Papam delegatum. Quod si hic confirmet primam sententiam: jam nulla alia, nec ad Pontificem admittitur appellatio: sed sententia executioni à primo Judice mandatur: si verò secundus revocet primam sententiam, appellatur ad alium Episcopum vicinorem, respectu Episcopi causæ, & sententia hujus tertij Episcopi omnino executioni mandatur ab Episcopo, qui ultimam sententiam tulit, sive sit confirmatoria, sive revocatoria præce-

dentis : ita , ut quoties duæ sententiæ conformes iuveniantur , habeant auctoritatem rei iudicatæ , & omnino exequantur. Sic Greg. XIII. in *Constit. Exposit. 15. Maj. ann. 1573.* quam affert *Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 9. Et in Polit. Ind. lib. 4. cap. 9. f. 565.* Et dicta Bulla iubetur servari , *L. fin. tit. 9. lib. 1. R. Ind. Solorz.* vel aliquando contingere , quod Episcopi , vel alij Judices Ecclesiastici habent jurisdictionem Sæcularem in causis Sæcularibus , & tunc ab ipsis ad Archiepiscopum de Jure Communi appellatur , nisi forte de consuetudine , privilegio , aut alio jure speciali ad alium appellandum sit. *c. 3. §. Debet , b. 2. in 6.* In nostra tamen Hispania ab Episcopo habente jurisdictionem temporalem in causis talis jurisdictionis non ad Archiepiscopum , sed ad Sæcularem Judicem appellatur. *L. 8. tit. 3. lib. 1. R. C. arg. text. in c. 6. c. 7. de Foro compet.* In his Regnis Indiarum à sententiâ Prætorum , vel Gubernatorum Provinciarum in causis , etiam gubernativis , juris patronatus , & alijs hujusmodi ad jurisdictionem contentiosam redactis , appellatur ad Regias Cancellarias. Quando vero ipsi cognoscunt , & procedunt , ut Præfetti Militum , Hispani : *Capitales Generales* , appellatur ad Regium Indiarum Consilium , quod refidet Matrili. Latus *Solorz. Polit. Indiar. lib. 5. cap. 13.* Vid. *L. 34. l. 35. l. 38. l. 43. tit. 15. lib. 2. R. Ind. l. 22. tit. 12. lib. 5. R. Ind.* in causis Cruciatæ solum ad Commissarium Generalem appellatur. *L. 8. tit. 10. lib. 1. R. C. l. 5. tit. 20. lib. 1. R. Ind.* in causis Mercatorum appellatur in Hispania ad Prætorum Civitatis. *L. 1. tit. 13. lib. 3. R. C.* in Indijs ad Senatorem ad hæc designatum. *L. 37. l. 38. tit. 46. L. 9.*

276 Jure Canonico attento in causâ Ecclesiasticâ , vel Sæculari subiecta temporali Papæ dominio , omnis alius Judicatus , potest appellari. 1. ad Papam. *c. 3. c. 16. 2. q. 6. c. 7. §. un. c. 31. b. 2. 2. ad Legatum Papæ in sua Provincia. c. 1. de Offic. Legat. 3. ad Patriarchas majores in suis Provincijs. c. 23. de Privileg. 4. si Episcopus est Exceptus , & immediate Papæ subiectus ad ipsum est appellandum. 5. si in eadem causâ concurrant Ordinarius , & delegatus Papæ , ad Papam appellatur , quia jurisdictione delegata , ut dignior trahit ad se jurisdictionem ordinariam , Sic quando Ecclesiasticus , & Sæcularis simul cognoscunt , ad Superiorem Ecclesiasticum appellatur. Similiter , si duo litigantes appellent in eadem causâ ad*

diversos Judices : v. gr. ad Archiepiscopum , & Papam , si Archiepiscopus hoc scit , non potest procedere , quia jurisdictione Superioris inferioris jurisdictionem absorbet ; *arg. L. 54. ff. de Re iudicat.* Si Archiepiscopus hoc ignoret , debet qui ad Papam appellavit , coram Archiepiscopo comparere ad allegandum , se ad Papam appellasse : alias Archiepiscopus contra ipsum procedet. *c. 7. b. 1.* Si tamen articuli , à quibus appellatur ad diversos Judices , sint diversi , utraque appellatio tenet : quia diversæ sententiæ considerantur. Si Episcopus litiget cum suo subdito eliguntur arbitri : à quibus ad Papam appellatur. Hæc de Jure Canonico procedunt. Jure tamen Civili non licet , omnis inferioribus Judicibus , immediate ad Imperatorem appellare. *L. 21. ff. b. 1. idem est de Jure Hispano. L. 18. tit. 23. p. 3. nisi forte Juxta immediatus , & medius palam denegat justitiam , vel si suspensus , vel excommunicatus sit , vel absens , vel captivus , vel alio impedimento ligatus , vel si ita habeat consuetudo. Quin & aliquando omisso etiam primo Juce Ordinario (& idem erit de Juce immediato , casu quo ab Ordinario appellatur) possunt litigantes ad Suprema Tribunalia accedere , ut pupilli , viduæ , studiosi , miserabiles personæ , & alij , de quibus diximus , hoc privilegio gaudere. *L. un. C. Quando Imperator inter pupil. l. 20. tit. 23. p. 3. Hispanè dicimus Casos de Corte. l. 5. tit. 3. p. 3. l. 9. tit. 3. lib. 4. R. C.**

277 A delegato appellatur ad delegantem , vel ejus successorem in officio , non tamen ad Superiorem : quia cum delegans sit Juxta Ordinarius in ipso permanet quali radicata jurisdictione , quam non abdicat à se totam , delegando causam. *L. 21. §. 1. ff. b. 1. l. 20. tit. 23. p. 3.* à subdelegato delegati , qui ita causam subdelegavit , ut nihil jurisdictionis in ea sibi retinuerit , non ad ipsum delegatum , siquidem jam caret jurisdictione , sed ad primum delegantem appellandum. Si vero delegatus ; etiam Papæ , subdelegando , aliquam sibi reservet jurisdictionem , ad ipsum delegatum à subdelegato appellatur , cum adhuc delegatus sit Juxta in ea causâ. *c. 27. §. Porro , de Offic. delegat. c. 7. c. 14. eod. in 6.* nisi delegatus sit mortuus , vel excommunicatus , vel impeditus : nam tunc fit appellatio ad delegantem. *c. 10. de Offic. delegat. in 6.* Et licet aliquantulum in hoc videatur discordare Jus Canonicum à Civili , & Hispano veteri in *L. 21. tit. 23. p. 3.* tamen Jus Civile

per

per Canonicum suppleri tenet *Greg. Lop. ibid. V. Aquil. fuez.* si condelegati Titijv. g. ipsi subdelegant causam , à Titio non appellatur ad condelegatos , sed ad primum delegantem , ne si ad ipsos appellaretur partialiter fiat appellatio ad ipsum Judicem , à quo appellatio est interposita. Si Episcopus causam alicui delegat ab eo potest appellari ad Vicarium Generalem , sicut potest ad ipsum Episcopum : nam idem cum ipso Tribunal constituit : nisi constet , Episcopum voluisse , talem causam abdicare à Vicario : Hodie in nostra Hispania omnes appellationes à quibuscumque Judicibus , sive Ordinarijs , sive delegatis , aliquibus casibus exceptis ad Regias Cancellarias interponuntur. *L. 12. tit. 5. lib. 2. R. C. l. 20. tit. 4. lib. 2. R. C. ibi : Mandamos , que todas las apelaciones de qualesquier Jueces , asì Ordinarios , como Delegados , vayan à la nuestra Chancilleria , salvo las apelaciones de las Resilencias ; y de las Cartas Executorias , que del nuestro Consejo emanaren sobre cosas vistas en el nuestro Consejo , y de las pesquisas , y Pefquisidores , que fueren por nuestro mandado , ò de los de nuestro Consejo , que no llevaren poder de determinar.* Præterea evenit aliquando , quod aliquis ita damnetur , ut nullus illi in terra maneat recursus , & ad revocationem suæ innocentie appellat ad Vallem Josaphat , vel ad Tribunal Dei , ad quod , & ipsum Judicem citat : quod si bono zelo fiat , non odio , & vindicta , sed ut innocentia pateat , & ut infamia à familia arceatur , tunc licita est hujusmodi appellatio , & citatio : quod exemplis Scripturæ probatur. Nam *Genes. 16. v. 5. dixit Sara ad Abraham , iniquè agis contra me : judicet Dominus inter me , & te. Et 1. Reg. c. 24. v. 16. loquens David ad Saul dixit ; Sit Dominus Juxta , & judicet inter me , & te : & videat , & judicet causam meam , & eruat me de manu tua.* Et in nostra Hispania Ferdinandus IV. fuit citatus à quibusdam equitibus , quos ad mortem condemnavit , ut intra triginta dies in Die Tribunali compareret , & in re ad trigessimum diem repente mortuus fuit inventus , & ideo eum vocamus : *El emplazado* , fere idem accidit cum quibusdam Regijs Senatoribus Cancellariæ Granatensis , qui ad Tribunal Dei fuerunt citati à P. Bassilio Avila : ut refert *Pedraza.* Regulariter vero hujusmodi citationes , & appellationes sunt periculosæ in hominibus non probatæ Sanctitatis , quia istos vel amor proprius , vel latens aliqua gloriolæ , vel vin-

dictæ nebula fallere potest. *Cesar Carena de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 1. §. 10. Martin del Rio Disquis. Magic. lib. 4. q. 4. sect. 1. Diana in Suma , V. Appellatio , num. 59. & alij.*

278 Ut maturiori judicio res definatur , non tantum semel , sed & iterum licet appellare. A sententiâ igitur definitiva , sive interlocutoria bis confirmata , potest adhuc appellari , non tamen ultra , ita ut bis appellare in eadem causa liceat : tertio tamen non admittitur appellatio in eadem causâ super eodem gravamine , vel articulo. *c. 65. b. 1. l. un. C. Ne liceat in una ead. caus. l. 25. tit. 23. p. 3. l. 5. tit. 17. lib. 4. R. C. Pichard. in Mandat. p. 4. prac. 13.* dummodo sententiæ sint omnino conformes : nam si tertia plus , quam anteriores contineat , vel sint super diversis articulis ; tertio , imò , & sæpius appellatur. *c. 16. 2. q. 6.* attamen respectu ejusdem articuli non admittitur tertia appellatio , ne causæ fiant æternæ , & lites immortales reddantur. Cum jus intendat enixe litibus finem imponi. *c. 5. de Dolo , & contum.* si tamen tertius non fuit litis conficius , potest executionem sententiæ per viam appellationis , vel nullitatis impedire. Quod si sententiâ pro Titio lata ; fuit confirmata in prima appellatione , sed revocata in secunda , potest Titius adhuc tertiam interponere appellationem. Et idem dicendum est de adversario , quousque in uno ex litigantibus tres sententiæ inter se conformes inveniantur. *L. 25. tit. 23. p. 3. ibi : Mas si por aventura el fuez de la alzada revocasse los dos juicios primeros , diciendo , que non fueran dados derechamente , estonce bien se puede alzar la parte contra quien revocassen los juicios.* Hodie tamen in nostra Hispania , si à Juce inferiore , qui est intra octo leucas , appellatur ad Regiam Cancellariam in causâ , quæ non excedat summam sexmillium marapetinarum , sive confirmetur , sive revocetur prima sententiâ , non datur appellatio , nec supplicatio. *L. 9. tit. 17. lib. 4. R. C.* si causâ sit majoris momenti , etiam post primam sententiâ à Cancellaria latam , quæ Hispanè dicitur *Sentencia de Vista* , licet ad ipsam Cancellariam supplicare : & hæc secunda sententiâ dicitur *Hispanè de Revista*. Et sive confirmet , sive revocet primam sententiâ , prolix executioni mandatur. Quando vero duæ sententiæ judicum inferiorum sunt conformes , si hæc confirmetur à Regia Cancellaria , debent statim exequi , quin detur locus supplicatiõni , seu sententiæ secundæ Cancellariæ , quam dicimus *de*

Re-

Revisita. L. 5. tit. 17. lib. 4. R. G. Aliquando tamen, licet raro, accidit, quod post primam supplicationem, seu revisionem, Hispanè: *Sentencia de Revisita*, secunda admittitur supplicatio, quæ ad Regem ipsam interponitur, in causa tamen civili, non vero in criminali. Et quidem debet esse causa magni momenti, & talis, ut fuisset in Regijs Cancellarijs, vel in Concilio Regio incepta. Quod si talis supplicatio admittatur, Rex ad ejus decisionem, eligit quinque Senatores ex Supremo Concilio, ut ipsi ex eisdem actis, nulla nova exceptione admittitur, nec probatione, nullitate, restitutione, vel alio quocumque remedio, causam definiant. Quod si aliquis ex Judicibus assignatis moriatur, superstitibus postulat causam decidere. Et sic appellans debet intra viginti dies, quos à die intimata sententiæ revisionis habet ad hanc supplicationem interponendam, debet, & impudenter de solvendis mille & quingenta duplis, Hispanè: *Mil y quinientas doblas, ó la Fianza de la Ley de Segovia*: si sententiæ revisionis in hac secunda supplicatione confirmetur. Et intra quadraginta dies debet sic appellans coram Rege comparere. Et sententiæ, quæ tunc fertur, sive confirmet, sive revocet anteriores omnino executioni mandatur. Hac tamen supplicatio non admittitur in causa criminali, nec in interlocutoria, etiam si definitiva vim habeat, nec in possessione majoratus. Quæ omnia parent ex *tot. Tit. 20. lib. 4. R. G.* Quando, & sub quibus conditionibus, & terminis est interponenda, & admittenda secunda supplicatio in his Provincijs Indiarum, late habetur in *tot. Tit. 13. lib. 5. R. Indiar.* & in *L. 6. dicitur: Que pagarán mil ducados de pena.* In Hispania vocantur: *Doblas de oro de cabeza. L. 9. tit. 20. lib. 4. R. G.* quia hæc moneta erat capitibus majusculis, & minusculis signata, & qualibet dupla æstimabatur eundem Regalibus unciam unam cum dimidia argenti habentibus. *Covarr. de Pond. monet. cap. 6. n. 3.* Sed *Ayala in Praxi Vallislet. l. 1. cap. 26. f. 44.* ait: *Computada cada dobla à diez y seis reales de plata.* *Hovia in Cur. Philip. 5. p. 5. n. 5.*

279 Ut lites, & controversiæ aliquibus terminis circumscribantur, certa tempora sunt ad hoc definita, quæ *fatalia* dicuntur, quia eorum lapsus fatum, id est, mortem, appellationi ingerit. Sunt etenim illi termini, vel tempora, quibus elapsis, vel appellatio non conceditur, vel concessa, & interposita extinguitur, & per consequens sententiæ executioni manda-

tur, tanquam si nulla appellatio intervenisset. Quatuor equidem sunt ejusmodi tempora. 1. tempus interponendi appellationem. 2. tempus petendi, & concedendi Apostolos. 3. tempus ipsos *Judices ad quem* presentandi. 4. tempus prosequendi, & finiendi appellationem. Et quidem olim in causa proprio nomine agitata intra biduum, in causa aliena, seu procuratorio nomine agitata intra triduum, & non ultra erat appellandum. *c. 29. 2. q. 6. l. 5. §. fin. ff. b. t.* Hodie tamen de Jure Canonico, & Civili (& idem erat de Jure Hispano antiquo) conceduntur decem dies ad interponendam appellationem à sententiâ Judicis inferioris, sive per se quis agat, sive per Procuratorem, Intorem, vel Curatorem. *c. 15. de Sentent. & re judicat. c. 36. de Testib. c. 8. b. t. in 6. Auth. Hodie. C. h. t. l. 2. tit. 23. p. 3.* Hodie tamen de Jure Hispano quinque dies ad appellandum conceduntur. *L. 1. tit. 18. lib. 4. R. G.* Et hoc tempus est primum *fatiale*: quod quidem est utile à principio, quia non currit, ignorantia, nec impedito, nisi verè contumaci. *c. 29. §. Si adversus, 2. q. 6.* sed in decursu est continuum, ita ut etiam ferias solemnes includat. *L. 1. C. de Ferijs, & currit à momento intimatæ sententiæ, vel ejus notitiæ, & completur in ultimo momento decimi diei. c. 15. de Sentent. & re judicat. c. 8. b. t. in 6. l. 23. tit. 23. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 10.* Et ideo Tabelliones in processu notant diem, & horam intimatæ sententiæ: quæ hora ultimi diei elapsa non admittitur ulterius appellatio. Alia tamen juris remedia, si quæ habeat gravatus, bene admittuntur. *c. 8. b. t. in 6.* Quando verò gravamen est successivum: v. g. incarceration, vel citatio ad Judicem non competentem, quamdiu hoc durat, appellari absdubio potest: nisi Judex super illo gravamine pronuntiasset: nam tunc intra decem diem est appellandum; *arg. L. 32. ff. de Re judic. si minor etiam Curatorem habens passus est labi appellationis tempora adversus talem lapsum restituitur. L. 1. tit. 25. p. 3. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 10.* Sic quoque tempore legitimo interponatur appellatio, inspicitur secundum fatale, ut sciat, si est deserta, vel non. Hoc secundum fatale est tempus petendi Apostolos, qui quidem in præsentia sic explicantur.

280 *Apostoli* sunt libelli dimissorii, quibus *Judex à quo* dimittit appellantem ad *Judicem ad quem*: & hac ratione *Apostoli* dicuntur à verbo *Grasso*, quod mittere lig-

nificat. Hispanè tales libelli dicuntur *Apostolos, ó Testimonio de la apelacion*: suntque juxta communem sensum DD. in triplici differentia: nam alij sunt *Revocentiales*: quando scilicet *Judex*, qui appellationem non debet ex rigore jurismittere, illam admittit ob reverentiam *Judicis ad quem*, & appellanti non concedit *Apostolos. c. 1. b. t. in 6.* Alij dicuntur *Testimoniales*, quando scilicet *Judex à quo* jubet, quod *Tabellio* det testimonium de eo, quod *Titius* fuit ab ipso condemnatus, ut solveret *Cajo*: v. g. centum argenteos, & quod ab illa sententiâ appellavit ad *Regiam Cancellariam*, & petijt *Apostolos*, & *Judex à quo* detulit appellationi, jusjuramentum eos ipsi dari, ut ad *Cancellariam Regiam* recurreret, & *Hispanè* dicuntur: *Testimonio relativo de los Autos*. Alij denique sunt *Refutatorii*, quibus scilicet, *Judex* testatur, non detulisse appellationi, justa causa non admissionis expressa. *L. 6. ff. de Appellation. recip.* Nam sæpè accidit, quod condemnatus appellet à sententiâ, & à denegatione appellationis, petitque de hoc sibi testimonium dari. *Apostoli* ergo petendi sunt ab appellante, & ejus expensis sunt dandi. *Glof. in Cl. 2. b. t. V. Oblatos.* Et quidem eos petere debet *sapius, & instantèr*, non tamen geminatis libellis. Quod si *Judex* cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitus, eos denegat, vel intra triginta dies malitiosè, aut negligenter tradere prætermittat, processus est nullus, nisi appellationi sit renuntiatum. *c. 4. c. 6. b. t. in 6. L. un. ff. de Libel. dimiss. L. 24. C. b. t.* Et ne *Judicis* fraude gravetur appellans, quando *Judex* illos dare recusat, perinde habetur, ac si *Judex* appellationi detulisset. Idem est, si ad *Apostolorum* petitionem non respondeat, vel si eos non det intra terminum præfixum ad eos dandos. Et cum per *Judicem à quo* stet, quod appellans non recipiat *Apostolos*, de hoc protestationem faciet appellans, & ad *Judicem ad quem* contra *Judicem à quo* recurret. *L. 31. C. b. t. Pichard. in Manud. p. 4. præc. 8.* In nostra Hispania ex antiqua consuetudine, Lege confirmata. *L. 2. tit. 6. lib. 1. R. G.* servatur, quod si in Tribunalibus Ecclesiasticis negetur appellatio legitima, sic gravatus recurret per modum violentiæ ad *Regias Cancellarias*, & ibi expeditur *Provisio Regia*, ut *Notarius* causam mittat processum, vel ipse compareat ad illum referendum, ut *Senatores Regij* possint certiores reddi, an *Judex Ecclesiasticus* vim inferat negando appellationem: quod

si ita esse inveniant *Senatores*, declarent, *Judicem Ecclesiasticum* vim facere in denegatione appellationis: ac proinde debere eam concedere: & sub hac forma decernunt *Otorgue, y reponga lo becho, y actuado, despues que la apelacion se interpuso, ó pudo interponer. L. 26. tit. 5. lib. 2. R. C. Gonz. in c. 17. de Judic. n. 6.* ubi plures DD. refert. Et ab hac interlocutione Hispanè: *Auto*, non datur appellatio, nec supplicatio. *Hovia in Cur. Philip. p. 5. §. 4. n. 2.* Olim quidem ad petendos, & recipiendos *Apostolos*, quinque dies concedebantur. *c. 24. 2. q. 6.* Hodie triginta dies conceduntur, qui à die interpositæ appellationis currere incipiunt. *L. 24. C. b. t. c. 6. eod. in 6.* Quod si intra prædictum tempus appellans petere negligat, appellationi renuntiassè censetur: & hac præsumptio est juris, & de jure. *Cl. 2. b. t.* ac proinde contra eam non admittitur probatio. *Judex à quo*, in cuius favorem hæc termini longitudo concessa est, licet non possit longiorem terminum statuere, potest tamen breviorum assignare ad petendos, & recipiendos *Apostolos*: quo termino elapso, si appellans illos non petijt, vel oblatos recusavit, appellatio censetur deserta: perinde ac si triginta dies essent elapsi. *Cl. 2. b. t.*

281 *Tertium fatiale* ad presentandum *Apostolos Judicis ad quem* conceditur. Hoc quidem tempus diversum pro diversitate *Judicium*, & locorum à Jure Civili statum est. *L. 2. l. fin. C. de Tempor. appellat.* Jure tamen Canonico attentio *Judex* hoc tempus assignat pro suo arbitrio. *c. 4. b. t.* Et idem est de jure Hispano. *L. 23. tit. 23. p. 3.* ubi statuitur, quod si *Judex* terminum non assignet, infra duos menses tenetur appellans prosequi appellationem. Sed de jure noviori hic terminus pro varietate *Judicium*, ad quos appellatur diversimodè variatur. *L. 2. l. 5. tit. 18. lib. 4. R. G.* Quod si intra hos terminos non compareat appellans, censetur appellationi renuntiassè, & appellatio pro deserta habetur. Et quidem de appellatione deserta ante ejus introductionem pronuntiat *Judex à quo*. Si quidem adhuc sub ejus jurisdictione causa consideratur, & ad ipsum spectat terminum ad eam introducendam assignare. *c. 27. b. t.* non tamen potest terminum ad appellationem prosequendam decernere. *c. 50. b. t.* quia hoc esset Legem dicere superiori, qualis est *Judex ad quem*: nam jam ad ipsum causa censetur devoluta, & consequenter ipse pronuntiat de appellatione introducta, sed non continuata.

Quando appellatur in Indijs ad supremum Indiarum Consilium debet appellans ibi comparere, prout statuitur in *L. 30. tit. 12. lib. 5. R. Ind. Los que apelen para el Consejo de Tierra firme, desde el Cabo de la Vela, y Golfo de Venezuela, hasta el Cabo de la Florida, Santa Marta, Nicaragua, Cabo de Honduras, Higueras, Guatemala, Tutacan, Nueva España, y Rio de las Palmas, y lo a esto adyacente, se han de presentar dentro de ocho meses. De las Provincias del Perú dentro de un año: de las Philipinas, dentro de año y medio, contados estos terminos desde el día que saliere de cada Provincia la Flota, o Armada, o Navio de registro para esos Reynos. Et in *L. 32. ejusd. tit.* jubetur, quod in causis ad supremum Senatium remisissis citentur partes ad omnes instantias. Quando appellans comparere coram *Judice ad quem*, & Apostolos, seu testimonium appellantis præsentat, *Judex ad quem* jubet præsentari transumptum authenticum processus, & *Hispanè* dicitur: *Compulsorio*, o *compulsas*, & citare partem adversam, ut compareat coram *Judice ad quem*, sed non potest *Judex superior* inhibere inferiori, ne in causa procedat, quousque ipse videat ex processu, vel transumpto, an hujusmodi inhibitionem debeat decernere. *L. 54. l. 55. tit. 5. lib. 2. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 2. ex n. 1.* Postquam litigantes comparuerint coram *Judice ad quem* sequitur *quartum*, & *ultimum fatale*, quod ad prosequendam, & finendam appellationem datur. Appellatio ergo sive judicialis, sive etiam extrajudicialis est prosequenda, & finienda intra annum. *L. fin. §. 4. C. de Tempor. appellat.* vel si iusta causa detur intra biennium: quo tempore elapso deserta videtur: si scilicet appellans, iusto impedimento cessante (secus si illud obest. *c. 8. h. t.*) eam non sit prosecutus. *c. 5. c. 8. h. t. L. fin. C. de Tempor. appellat.* Hoc fatale incipit currere saltem de Jure Canonico statim à die interpositæ appellationis, etiam extrajudicialis, si gravamen jam sit illatum: si tamen erat futurum, incipit tempore currere à die, quo re ipsa allatum est. *Gl. 3. h. t.* Hodie tamen hoc fatale non attenditur in Tribunalibus: tum ob multitudinem litium, & causarum: tum quia ferè nunquam desert causa ad terminum prorogandum ob aliquod justum impedimentum. Idem est de jure Hispano. *L. 11. tit. 18. lib. 4. R. C.* ac proinde si intra annum nullus omnino actus saltem ad prosequendam appellationem fiat ab appellante, appellatio censetur deserta, nec*

est necessarium, quod super desertione aliqua proferatur sententia declaratoria: sed *Judex à quo* suam sententiam exequatur sine alia pronuntiatione *Judicis ad quem.* *Acroed. in l. 11. tit. 18. lib. 4. R. C.* alios citans *Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 2. n. fin.*

282 Appellatio legitime interposita duos effectus habet. Nam per illius interpositionem causa ad superiorem devolvitur, illique tribuitur jus de ipsa cognoscendi. *c. 55. c. 59. h. t. c. 3. §. 3. eod. in 6.* Et hic effectus dicitur *devolutivus*, & præterea suspenditur jurisdictione *Judicis à quo*, ita ut pendente appellatione, omnia in suo statu debeat relinquere, nec suam quidem sententiam exequi valeat. *c. 39. h. t. c. 19. de Fur. jurand. L. unis. ff. nihil innovari appellat. interp. & hic effectus dicitur *suspensivus*. Et licet quoad eam causam suspendatur jurisdictione *Judicis inferioris*: non tamen suspenditur quoad alias, sive civiles, sive criminales. *c. 22. c. 24. h. t.* Quippe appellans non eximitur ab ejus jurisdictione, nisi tantum in ea causa. Imò etiam respectu ejus causæ potest *Judex à quo* facere omnia ea, quæ appellationi non obstant. *c. 17. h. t.* Si enim ex duobus correis debendi in solum unus sit *Conventus*, & *condemnatus*, & appellat, alter adhuc potest à *Judice inferiori* conveniri, potestque contra eum *Judex* procedere. *L. 60. ff. Mandat.* quia hoc non præjudicat appellationi, cum res inter alios gesta tertio non proffit, nec nocet. Similiter potest inhibere litigantibus, ne quidpiam attentent, de eorum attentatis cognoscere, eaque revocare. *c. 17. h. t.* quia hæc omnia non opponuntur appellationi; imò tendunt ad appellationis faciliorem exitum. Hinc *Judex à quo* potest appellanti citare ad revocationem gravaminis audiendam, etsi ipso appellante non comparente in termino præfixo *Judex* revocat gravamen, cum hoc cessante cesset appellatio, quæ est ejus effectus, potest utique *Judex* in causa contra ipsum tanquam contumacem procedere. *c. 1. o. h. t. in 6.* Etiam potest taxare expensas, ad quas condemnavit; nam tunc nequitiam innovat, sed solum declarat pronuntiat. Item si ante appellationem aliquem excommunicavit, potest, etiam pendente appellatione, & ea non obstante, denunciare excommunicatum: quia denuntiatione nihil innovat: & beneficii redditibus eum privare valet, cum effectus jam sit ab excommunicatione causatus. *c. 53. §. Verum, h. t.* Item si excommunicatus, vel alia cen-*

sura ligatus ab eodem *Judice* absolutio nem petat, potest hic, & debet eum absolvere, etiam adversario repugante, & appellante, ne absolvat: debet tamen ab eo sufficientem recipere cautionem: quod in præsentia *Judicis*, ad quem appellatur, vel coram *Judice*, cui causam delegaverit, juris pareat aequitati. *c. 25. h. t.* Ut sic animæ excommunicati consulatur. Nec impeditur appellatio, nec adversario fit præjudicium, cum per cautionem de patendo juri satis ipsi provideatur. Et licet regulariter hos duos effectus habeat appellatio, scilicet devolutivum, & suspensivum, non tamen semper habet utrumque: Nam aliquando non habet effectum suspensivum: regulariter tamen habet effectum devolutivum. Sic, quando Episcopus aliquam Censuram Ecclesiasticam infligit absolute, & post eam inflictam appellat tali censura ligatus, licet causa ad Superiorem devolvatur, & transferatur, censura tamen non suspenditur: cum hæc secum trahat executionem, sicut ictus gladij percussio nem assert. *c. 37. h. t. c. 53. §. Verum eod.* Idem est, si excommunicatio fuit inflicta sub conditione, post conditionis impletionem. *Suar. de Cens. D. 3. sect. 6. n. 6.* Secus est si censura fuit inflicta sub conditione futura: Tunc enim cum per appellationem suspendatur *Judicis* jurisdictione, ipsa censura non ligat, sive conditio servetur, sive non, quia licet alie conditiones, quando adimplentur retrotrahantur ad tempus actus conditionalis: non verò excommunicatio conditionalis: quia hæc non incurritur, nisi præcedat transgressio, vel contumacia: & pendente conditione, potest gravatus ultra decendum appellare: quia dum *Judex* præcipit aliquid sub censura semper gravat. Quæ sententia non solum in foro conscientie, sed etiam in foro externo satis securæ est, ut tenet *Suar. de Cens. D. 3. sect. 6. n. 4.* licet contraria securior sit, & ad tollendas lites aptior, ut tenent *Abbas, & alij.*

283 Interposita igitur appellatione, *Judex à quo* illi deferre debet, alias punitur; de Jure quidem Civili, sustinendo lites damnatum, & multa decem librarum auri. *Nov. 126. cap. 3.* Correcta juris antiquæ poena arbitraria in causa criminali, & in civili triginta librarum auri. *L. 21. C. h. t.* Jure tamen Canonico deponitur *Judex*, si appellationis ad Papam non deserat. *c. 11. §. Si autem, 2. q. 6.* In alijs verò appellationibus punitur poena arbitrio Superioris ad quem remittitur, æli-

manda. *Arg. c. 31. h. t.* In Nostra Hispania condemnatur *Judex à quo* poena triginta millium marapetionum, quæ sisco applicatur. *L. 13. tit. 18. lib. 4. R. C.* Si causa est dubia, saltem ob reverentiam Superioris debet *Judex* deserre appellationi, si interponatur à sententia definitiva: Si verò ab interlocutoria appelletur, potest, sed non debet deserre: Sed potest in causa progredi, donec à Superiore inhibeat. *c. 5. c. 7. h. t.* Et generaliter in dubio consultus est appellationes concedere, quam negare. *Paz in Praxi tom. 6. p. 1. in Proem. n. 17.* non tamen debet deserre appellationi frivole, & frustratorie, nec illis, quæ à jure, vel in Rescripto prohibita sunt, imò eas repellere debet, & in causa progredi. *c. 15. c. 53. h. t. c. 5. eod. in 6.* Postquam ergo *Judex à quo* appellationi detulit, non potest amplius in causa procedere, nec valet processus si forte fiat, nisi appellationi à parte renuntiatum sit. *c. 4. h. t. in 6.* Sed debet Apostolos appellanti tradere, & si perierit acta *Judicij*, vel eorum copiam authenticam, & publicam, ipsi tradet, ut ad *Judicem* appellationis deferantur. *L. 2. C. de Edend. l. 22. tit. 23. p. 3.* ibi: *E pido, que me desdes vuestra Carta para él, è el traslado de la Sentencia, è de los actos del pleyto, como passaron ante vos.* Insuper *Judex à quo* compellit appellanti, ut intra terminum sibi præfixum, vel prosequatur appellationem, vel coram se juri pareat. Quod si aliquis litigantium illum suspectum habeat, ipsi possunt eligere arbitrum, qui de reculatione cognoscat, vel *Judex* eos compellit, ut *Judicem* eligant, cui ipse causam committat. *c. 27. h. t.* Appellans quidem, etiam post interpositam appellationem, si res adhuc sit integra, id est, quod appellatio non sit ab adversario acceptata, potest appellationi renuntiare, & ad petitionem ejusdem ad eum, à quo provocavit de jure causa remittitur, contradictione alterius non obstante; est tamen appellans in legitimis expensis adversario condemnandus. *c. 70. §. Ille, h. t.* Si tamen appellatio est ab adversario acceptata, cum tunc utriusque jam censetur communis, non potest appellans, alio invito, ab ea recedere. *Pichard. in Manud. p. 4. præc. 6.*

284 *Judex ad quem* est appellatum cognoscit per se, vel per alium, an appellatio sit legitime interposita: non tamen eam examinandam ad *Judicem à quo* remittet, nisi partes contentiant, quia periculum est, ne iterum gravet. *c. 35. h. t.* Et hæc ratio si *Judex à quo* in locum *Ju-*

ditis ad quem succedat, non potest per se de causa appellacionis, parte adverte respiciante, cognoscere, sed persona non suspecta causam debet delegare. Et quidem Judex ad quem, discussa appellacionis causa, vel pronuntiat, male appellatum, & bene judicatum esse in prima instantia: & tunc si a definitiva fuit appellatum, eam confirmat, & exequitur: si fuit appellatum ab interlocutoria, appellan-tem in expensis condemnat, & remittit causam ad *Judicem a quo*, & appellanti precipit, *Judicis a quo* obedire. *c. 38. e. 59. b. r. c. 3. §. fin. eod. in 6. L. 27. tit. 23. p. 3.* Vel pronuntiat, bene esse appellatum, ac proinde male esse in prima instantia judicatum: Et tunc de causa meritis cognoscit, & eam definitive decedit: & etiam si sit appellatum ab interlocutoria, de negotio principali pronuntiat, nec ad *Judicem a quo* remittit, ne qui in incidenti gravavit, gravet in principali. *L. 27. tit. 23. p. 3. ibi: E si intendere, que se alio cum decreto, mejore el juicio, e juzgar, el principal, e non le embie a aquel Alcalde, que juzgo mal. Glos. in C. 59. b. r. V. Alioquin. Barbof. ibid. n. 7.* Appellans tamen probare debet coram *Judice ad quem*, se appellasse: & quidem tempore legitimo a sententia, vel gravamine illato, & ex causa rationabili, se appellasse: tali scilicet, ut si probetur, iustam delectet appellacionem esse. Et hic libellus, *Hispane* dicitur: *Eserito de expresion de agravios*. Debet insuper appellacionem, & ipsam sententiam, a qua appellavit producere, & ipsa acta, vel eorum copiam, ut ex eorum inspectione constet, an sit ommissa citatio, vel sententia lata sine causa cognitione. *L. 2. C. de Edend. l. 22. tit. 23. p. 3.* Et potest, vel novas probationes, vel ex prioribus actis depremtas producere: adeo, ut solemne sit apud practicos: *In causa appellacionis non allegata allegabo, & non probata probabo. L. 4. C. de Tempor. appellat. l. 27. tit. 23. p. 3.* Si litigans appellat a sententia definitiva potest *Judex ad quem* revocare gravamen per interlocutoriam illatum, licet ab ea non appelletur, si talis sit interlocutoria, que causam prejudicet principali, vel processum retro nullum reddat, cum non possit aliter causa principalis, & causa definitiva, a qua appellatur, bene expediri. Non tamen potest *Judex* revocare interlocutoriam, a qua non est appellatum, si nullam causam principalis alterat prejudicium. *C. fin. b. r. in 6.*

285 Aliquando *Judex a quo*, etiam

pendente appellacione, potest suam sententiam exequi, ut in calibus, in quibus de jure est prohibita appellatio. *C. 7. b. r. in 6.* in calibus notioris. *C. 24. b. r. & etiam*, quando jus concedit paratam executionem, nisi forte appellans causam iustam alleget, ob quam appellatio debeat admitti. Similiter in appellacione manifeste frivola, nisi *Judex* ei detulerit. *C. 5. b. r. in 6.* Nec *Jure Civili* appellatio retardat executionem in possessorio. *L. un. C. Si de moment. possess.* Item appellacione pendente, cum possessor sua possessione non privetur, potest utique eam continuare, & ejusdem commodis frui. *Arg. c. 1. Ut lite pendet.* Et etiam potest *Judex* contra tertium in eadem causa procedere, si nihil interit appellantis, hanc innovationem fieri. *L. 60. ff. Mandat. Pichard. in Manud. p. 4. praes. 16.* Regulariter tamen extra casus permittos nequit *Judex a quo* post sententiam latam intra decem diem: etiam non interposita appellacione, multoque magis appellacionem iam interposita, & pendente, nequit, inquam, aliquid circa causam innovare, quod si innovet, attentatum dicitur, & debet ante omnia revocari a *Judice ad quem*. *c. 7. b. r. in 6.* & in pristinum statum omnia debent restitui. *c. 54. b. r.* Ut ergo revocatio ante omnia quidquid est innovatum in prejudicium causae a tempore latae sententiae, sufficit, appellansem probare, esse latam sententiam definitivam, vel interlocutoriam vim definitivae habentem, esse ab ea appellatum, & postea aliquid innovatum, vel attentatum a *Judice*, vel a parte appellata: Nec requiritur, esse iustificatam appellacionem, neque causam appellandi esse veram, & legitimam. Quia statim ac *Judex* pronuntiat sententiam definitivam, finitur ejus officium, & per appellacionem suspenditur ejus iurisdic-tio, & ad *Judicem ad quem* transfertur: ac per consequens quidquid tunc faciat, debet revocari tanquam factum a non habente iurisdictionem. *L. 55. ff. de Re judicat.* Et quidem si a sententia interlocutoria simplici appelletur, requiritur, ut *Judex ad quem*, iustificata prius causa appellandi: quippe non aliter ad eum devolvitur iurisdic-tio *Judicis a quo*. *c. 7. b. r. in 6.* Inhibeat *Judicis a quo*, ne in causa procedat. *c. 7. b. r. in 6.* nisi *Judex a quo* appellacioni deferendo a se abdicet iurisdictionem, & haec tam super causa appellacionis, quam super causa principali ad Superiorem transferatur: quia tunc non est necessaria inhibicio. *Glos. in C. 7. b. r.*

in

in 6. V. Nisi Judex. *Judex* igitur ad quem cum de principali causa cognoscat, ad ipsum per appellacionem iurisdictione inferioris devoluta, etiam revocat attentata. *c. 54. b. r. l. 27. tit. 23. p. 3.* tanquam accessoria. *Arg. c. 42. de Reg. jur. in 6.* Quae quidem attentatorum revocatio in quacunque parte iudicij usque ad conclusionem in causa, sed non ultra peti potest. *Pichard. in Manud. p. 4. praes. 16.* Profecto licet in appellacione judiciali omnia attentata revocentur, quamvis non sint directae contra appellacionem. *c. 7. b. r. in 6.* Cum iurisdic-tio *Judicis a quo*, quoad totam causam suspendatur: in extrajudiciali tamen solum revocatur quod est contra appellacionem. Nec in hac esse necesse, quod appellatio intimetur illi, qui gravat, ut attentata revocentur, seuus est in judiciali. Et cum *Judicis ad quem* auctoritas, imo, & ipsa *Lex* contemnatur, & laedatur, per attentata, potest *Judex* ex officio ea revocare. Si revocatio attentatorum petatur specialiter, licet lis sit contestata super libello attentatorum: si possunt separari a causa principali, revocari poterunt ante definitivam: si nequeunt separari, definitivam expectatur. *L. 57. §. 1. ff. de Administ. Tutor. Et ibid. Gothofr.* Aliquando tamen petitur revocatio attentatorum accessorie, appellacionem prosequendo. Hoc attentatorum remedium etiam conceditur spoliato, seu turbato in sua possessione, & quidem ipsi est promptius, & utilius Interdicto *Unde vi*. Siquidem competit pro immobilibus, & mobilibus adversus quemcunque, etiam bonae fidei possessorem. *c. 51. b. r.* Nec contra hoc remedium potest opponi exceptio spoliij, nec defectus notorius praeprietas, nec exceptio excommunicacionis, quando appellatio est judicialis: seu-cus si extrajudicialis sit: nam quando appellatio est judicialis ad defensionem pertinet: quando vero est extrajudicialis magis naturam provocationis sapit. Nec hoc remedium indiget ordine iudicario. Unde constat, quod pinguius, & utilius est Interdicto *Unde vi* quod facile ex utriusque naturae consideratione patebit. *Vallens. in Praes. §. 16. & alij com.* Denique, si *Judex a quo*, vel pars appellata aliquid attentent, vel innovent, ultra attentatorum revocacionem, ipsi in expensis appellanti condemnantur. Si vero pars appellans aliquid innovet, quod non sit propria appellacioni contrarium, ut attentatum revocatur. Si innovat contra propriam appellacionem beneficio appellacionis privatur:

Tom. I.

quia eam deseruisse, eique renuniasse censetur: ac proinde sententia *Judicis a quo* transit in rem judicatum. *C. 5. b. r. Et Judex ad quem* ad petitionem partis appellatae sententiam remittit ad *Judicem a quo* ut eam exequatur, tanquam appellacione deserta. Late de his *Barbof. & Gonz. in Praes. Greg. Lop. & Acevedo in LL. Reg. Hisp. Hecia in Cur. Philipp. p. 5. Paz in Praxi, tom. 1. p. 6. Pichardo in Manud. p. 4. & alij.*

286 Sicut per appellacionem suspenditur *Judicis a quo* iurisdic-tio, sic etiam *Judicis* recusari per recusacionem iurisdic-tio suspenditur: & ideo ut appellacionis affinis in nostra Rubrica habetur *recusatio*, & in parte secunda nostri Tituli collocatur. *Recusatio enim est declinatio Judicis, vel iurisdictionis ipsius, eo quod ex causa verisimili suspectus sit. c. 17. c. 39. de Offic. deleg. l. 16. C. de Judic.* Quippe ipsa natura dicitur inimicorum iudicium fugere. Et non admittitur recusatio nisi expressa iusta, & probabilis causa suspicionis ad recusandum, & quidem in specie debet exprimi, non solum de *Jure Canonico*, sed etiam de *Jure Civili*. *c. 61. b. r. L. 9. ff. de Liberat. causi.* *Judex a quo* in una causa est appellatum, non ex hoc praesens recusatur ut suspectus, quoad alias, nisi aliunde amor alterius partis, vel odium in appellansem ex alijs indicijs inferatur: Quippe appellare ab illo non est iusta offensionis causa, nec illi ex hoc aliqua inferretur injuria. *L. 20. C. b. r.* Sed licet recusatio sit appellacioni vicina, ab ea tamen differt. 1. quia a *Judice*, in quem quis consentit appellare potest, non tamen potest eum recusare. 2. in eadem causa non licet tertio appellare: & post secundam appellacionem adhuc recusacioni est locus. 3. a *Judice* non appellatur, si non gravet: potest tamen, etiam quando non gravat, recusari. Iusta igitur recusacionis causae sunt sequentes: scilicet, si *Judex* sit alterius partis consanguineus, vel affinis. *c. 4. Ut lite non constet.* vel *Dominius. c. 17. de Offic. delegat.* vel *Socius*, seu *Collega. c. 35. eod.* vel *cliens. l. 51. In pr. ff. de Injur.* vel valde familiaris. *c. 25. de Offic. delegat.* vel inimicus recusantis, quia cum eo rixatus est: vel cum eo litem habuit, vel ipsi minatus est, vel si affectionem specialem habeat erga causam: quia ut privatus similem habet in alio Tribunali. *c. 18. de Judicis.* Vel si ex ea magnum ipse speret emolumentum, vel si in eo negotio fuit Procurator, vel Advocatus, vel si alia hujusmodi causa subint,

Que 2

de

de quarum legitimitate, & veritate non ipse recusatus, he in causa propria Judex sit; sed arbitri electi a litigantibus cognoscant intra terminum competentem ipsis prefixum à Judice recusato: & intra quem debent convenire, & causam terminare: quod si discordent; eligunt tertium; & quod duo ex his tribus decreverint circa recusationis causam firmum habebit. Quando Vicarius Generalis Episcopi recusat, Episcopus ipse, nisi pro cui ablit vel sit suspectus, de causa recusationis cognoscit. *c. 4. de Offic. delegat. in 6.* si ex duobus delegatis cum clautula: *Quod si ambo non possint unus procedat:* unus recusetur, alter de recusatione cognoscit. *c. 4. de Offic. delegat. in 6.* cum recusat delegatus cognoscit delegans, si presens est. *Molin. de Just. & Jur. tr. 5. D. 23. n. 15. & alij communiter.* Arbitri electi nihil de causa principali cognoscunt; sed tantum de causa suspicionis, in qua possunt examinare, compellere, & delinquentes testes punire, & exceptiones admittere. Si causam suspicionis iustam, & probatam esse pronuntiant, Judex alteri committit causam principalis cognitionem de consensu reculatoris, vel ad superiorem remittit. *c. 61. b. t. ut in ea procedat,* prout viderit procedendum. Si vel non probatam, vel insufficientem esse pronuntiant; Judex recusatus, qui dum recusationis causa pendet, supersedere debet in causa cognitione, in ea progreditur. *c. 41. §. Tertio, b. t.* Similiter, si consiterit, recusationem esse manifeste frivolam, ea contempta, procedit Judex. Item procedit, si intra terminum arbitris prefixum ipsi non pronuntiant de causa suspicionis, ad quod possunt à recusato compelli. *c. 2. b. t. in 6.* Si vero recusatus terminum incompetentem arbitris assignet, litigantes possunt appellare, siquidem in hoc gravantur. Quod si Judex recusatus, dum de recusatione cognoscit, in causa procedat, quæ circa eam innovaverit, ut attentata, ante omnia, revocantur, ita ut processus nullus sit. *Gloss. in c. 16. 2. q. 6. V. Appellat.* Recusatio debet proponi in scriptis libello reculatorio oblato Judici recusato. *L. 16. C. de Judic.* Et quidem intra viginti dies (qui ad deliberandum dantur) post oblatum libellum; ante litis tamen contestationem. *c. 20. de Sentent. & re judic. l. 16. C. de Judic.* imò & ante alias exceptiones dilatorias; ne in Judicem censetur consentire recusans, si super alijs dilatorijs habeat iudicium: nisi protestetur, ut sibi ma-

neat salva hæc exceptio. Vel si post aliam exceptionem oppositam, imò & post litens contestatam causam suspicionis oriatur; vel saltem tunc fiat nota recusanti. *c. 4. de Except.* Princeps Ecclesiasticus, vel secularis non possunt reculari: quia præterquamquod illorum Majestas omnem excludit suspicionem, à nemine in terris iudicantur. Jure Canonico Judex Ordinarius, & Delegatus, etiam Episcopus, reculari possunt. *c. 41. §. Tertio, c. 61. b. t.* imò & totum Collegium; *arg. c. 10. de Foro compet.* Quando Ordinarius recusat, potest ejus Vicarius licet nulla sit adversus Vicarium suspicio in specie, ut suspectus reculari. Item Domino recutato, tota ejus familia, ut suspecta, potest considerari. De Jure Civili delegatus potest reculari, & etiam Ordinarius, sed hæc non omnino removetur à cognitione cause per recusationem, sed ad illius declarationem alius adjungitur. *Auth. Si verò, C. de Judic.*

287. De Jure Hispano potest reculari Judex Ordinarius, vel Delegatus, quin sit necessarium causam recusationis in specie exprimere: potestque in quacunque parte iudicij proponi recusatio etiam post subscriptionem sententiæ, dum tamen ante illius intimationem proponatur. Nec Judex recusatus removetur à causæ cognitione, debet tamen in civilibus sibi associare alterum Judicem Ordinarium, si forte talis in illo loco sit; quod si non sit, associabit quemdam bonum virum, providum, & discretum, & ambo in cognitione causæ procedent. In criminalibus autem sibi associabit duos Decuriones, vel bonos viros. Et associatus non potest reculari, nisi allegata, & probata recusationis causa. Si Judex, & ejus associatus dissentiant, causa remittitur ad Superiorem. Arbitri sane nequit reculari nisi ob causam ortam post illius electionem, vel saltem tunc notam. Relator, & Tabellio etiam absque causæ expressione recusantur, & illis socius adjungitur, recusantis expensis. Quando recusat aliquis Senator Regius Cancellarius debet fieri recusatio in scriptis, jurata quidem, & subscripta à parte: & insuper ab Advocato, presentaturque Consistorio Regio, Hispani: *Reverdo;* debetque exprimi causa in specie, & post triginta dies à tempore litis inceptæ interponitur: non tamen admittitur postquam sententiæ subscripta est: nec in hoc habent restitutionem minores, vel Ecclesie. Hæc causa recusationis discutitur à Senatoribus non reculari: quod

si injusta declaratur, condemnatur recusans in sex mille marapetinis pro singulis recularis. Et ab hac sententiâ non datur appellatio. Quod si causa iusta appareat, deponit recilians poenam pecuniariam, in quam condemnatur, si non probet causam recusationis: quæ quidem poena est, pro Preside recusato, centum & viginti millium marapetinorum: pro singulis Senatoribus Regis, Hispani: *Os lones,* sexaginta millium marapetinorum: pro Judicibus Criminalibus, Hispani: *Alcaldes de Corte,* est poena triginta millium marapetinorum. Et ab hac sententiâ potest supplicare recusans. Si vero probet iustam recusationis causam, abstinere jubetur Judex recusatus ab illius causæ cognitione, & pecunia deposita restituitur recusanti. Quæ omnia late constant *ex tit. 16. lib. 4. R. C. & tit. 10. lib. 2. R. C. Et ibid. Accord. Hecia in Cur. Philip. p. 1. §. 7. per tot. Pichard. in Marud. p. 1. §. 10. Paz, & alij.* Idem pro Indijs statutum est in recusatione Præsidum, & Senatorum. *L. 1. tit. 11. lib. 5. R. Ind.* Et in *L. fin.* dicitur: *En las recusaciones de los Contadores de Quentas de los Tribunales de las Indias se guarda el mismo estilo, que con los Oidores, y Alcaldes de las Audiencias de aquellas Provincias.* In recusatione Quæstorum Regij Xaraj, Hispani: *Oficiales Reales,* debet conjungi Provincia consuetudo servari. *L. 60. tit. 4. lib. 8. R. Ind. Prior, & Consules Mercatorum cum causa possunt reculari, & quomodo procedatur. Vide L. 31. & seqq. tit. 46. lib. 9. R. Ind.*

288. Venimus tandem ad tertiam partem Rubricæ, quæ est de Relationibus, Sapienter enim accidit, quod Judicis inferiores relationem causæ ad Judicem Superiorem remittant: quæ quidem relatio fit, vel quia causa est Superiori specialiter reservata. *c. 59. in fin. b. t.* vel quia taliter est delegata, ut ea cognita, & instructa remittatur ad Superiorem. *c. 5. de Offic. Legat. c. 56. b. t.* vel quia est necesse Superiori consulere ob arduam negotij, & causæ gravitatem. Et de hac solum relatione est præfata Rubrica. Hæc quidem quandam cum appellatione affinitatem habet, cum eaque convenit in eo, quod fit ad Superiorem, sicut & appellatio: & ad ipsum causæ cognitio devolvitur; ita ut amplius non possit, pendente relatione, cognoscere ipse referens, sed manus ejus, quasi ligatæ manent. *L. 22. ff. b. t. ac per consequens nihil in eo statu debet innovari. L. 13. C. b. t. c. 5. de Offic. Legat.* nec quidem consentientibus partibus valet Judex causam Principi relatum reassu-

mere, ne Princeps contemni videatur. *c. 4. de Postulat. Prælat. L. 35. tit. 3. lib. 1. R. C.* ibi: *Embien relacion de lo que ha pasado, y passa; y entretanto no les compelan à fundar las dichas Capellanías.* Si tantum promissa, nondum tamen sit facta relatio, potest Judex de consensu partium causam reassumere; & de ea cognoscere. *Gloss. in c. 5. de Offic. Legat.* Quando Rex jubet alicui Magistratum, ut statum alicujus causæ sibi referat, non debet Judex in ejus cognitione supersedere, nisi hoc à Rege specialiter exprimat. *L. 9. tit. 24. lib. 4. R. C. Gonz. in c. 5. de Offic. Legat. n. 9.* Ab appellatione autem differt relatio, quia hæc ante, illa tamen post sententiam interponitur; nec fit à partibus, ut appellatio, sed à Judice; eaque facta, & admissa, non ipse superior, sed inferior secundum Superioris rescriptum sententiam profert. *L. 1. C. de Relationib.* Jure tamen Civili relationum usus est sublati. *Auth. Novo jure, C. de Relation.* Jure quidem Ecclesiastico rarus est, & ejus loco recurritur ad Jurisperitos, & Academiæ, & dum eorum consilium expectatur, quasi suspensa jurisdictione, nihil expedit innovari; *arg. c. 52. de Elect. Vallens.* de Jure Hispano utique viget relationum usus. *L. 35. tit. 3. lib. 1. R. C.* Et maxime in Indijs, ubi sæpe est necessarium, nostrum Regem consulere ob arduam, & novitatem negotiorum. *L. 18. tit. 2. lib. 1. R. Ind. L. 45. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* & alibi sæpe. Debet igitur relatio habere totius causæ, vel articuli relati, de quo est dubium; plenam instructionem, omnibus facti circumstantijs, & utriusque partis allegationibus propositis. *L. 1. C. de Relation.* Si de tota causa dubitetur acta mittuntur, vel eorum copia Authentica, *Hispani: Compulsas;* si de articulo dubitetur, ille solus; non totus processus mittitur. *L. fin. C. de Relationib.* Et ne Judex exprimat falsum, vel taceat verum, debet partibus relationem edere, alias ei non adhibetur fides. *c. 68. b. t.* possuntque partes eam refutare, & appellare, si sit vel falsa, vel insufficientis. *L. 1. l. 2. C. de Relation. l. 15. tit. 23. p. 3.* Copia debet tradi in forma authentica, ita ut non possit inmutari. *c. 11. de Probat.* Et ambo litigantes debent in relationem consentire. *L. 2. C. de Relation.* & fat est, si non contradicant, ut consentire ipso silentio videantur; *arg. c. 43. de Reg. jur. in 6.*

TIT. XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

289 **C**lerici peregrinantes (idem ex eadem ratione est dicendum de Laicis) qui scilicet ad Apostolicam sedem proficiscuntur, debent esse simul cum suis rebus sub Apostolica protectione secuti. *c. an. b. t. idem est in l. 2. tit. 24. p. 1.* Hinc qui capiunt, vel spoliant suis rebus Romipetas, & peregrinantes ad limina Apostolorum, vel ibi morantes, vel redeuntes, incurrunt excommunicationem. *c. 23. 24. q. 3.* quæ quidem hodie reservata est in *cas. 9. & 10. Bulla Cane.* Ille, qui a *Judice a quo* gravatur potest non solum verbo, sed etiam facto ipso appellare: iter, scilicet, arripiendo ad Sedem Apostolicam. *c. 52. de Appellat.* dum tamen hoc fiat intra decendum, & judici, vel parti intimetur; *arg. c. un. b. t.* Quod si postquam fuit citatus iter arripit, iudex, hoc non obstante, in causa procedat: & ideo reus debet iter arripere antequam citatione sit preventus. *c. 9. de Appellat.* Sanè arrepto itinere tempore legitimo, suspenditur jurisdictionio *Judicis a quo*, ita ut nihil jam possit innovare in causa, & quidquid innovatum fuerit, revocatur, ut attentatum. Et si quid peregrinanti sit ablatum in iudicio, vel extra, ipsi restituendum est. Et hæc peregrinatio ab onere petendi Apostolos relevat. Et quidem debet sic appellans iter arripere, antequam ejus adversarius impetrasse litteras Apostolicas ad delegatum, vel antequam hujus impetrationis: notitiam habeat: alias itineris arreptio, ut malitiosa ei non prodest: quia hæc appellatio non ad deprimendam cujusquam justitiam, sed ad removendam gravamen fuit concessa. *c. 15. de Appellat.*

TIT. XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

290 **C**UM sententia appellata sæpe confirmetur à *Judice superiore*, in presenti agitur de ejus confirmatione: & inde etiam de aliorum actuum confirmatione tractatur. *Confirmatio etenim est juris prius habiti, seu quasi corra-*

boratio per legitimum superiorem facta. Præsupponit liquidem aliquid esse, quod confirmetur: nec alius quam superior confirmare potest, cum confirmatio proprie dicta ad imperium pertineat; & omnium ore decantatum sit: *quod par in parem non habet imperium. L. 4. ff. de Recept. qui arbit.* Quod si inferior aliquando confirmare dicatur, potius approbat, quam confirmat. Confirmatio est duplex: alia est *simplex*, seu *in forma communi*, & *ordinaria*; alia in *forma speciali*, seu *ex certa scientia*. *Confirmatio simplex* est quando superior non plene, sed in consensu tantum de negotio instructus actum inferioris confirmat in eo statu, in quo antea fuit. Et in dubio confirmatio in forma communi facta censetur: nisi constet, factam esse in forma speciali, & ex certa scientia. Talis enim confirmatio non præsumitur, nisi probetur. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 18. n. 7. Barbos. in c. 2. b. t. n. 3. contra Joan. And. & alios.* Et licet confirmatio communis auctoritatem, & majorem firmitatem actui tribuat, quando ipse est validus quando tamen est invalidus nullum effectum habet confirmatio, sed cum in sua nullitate relinquit. *c. 4. b. t. c. 29. de Privileg. Suar. de Legib. lib. 8. c. 18. n. 8.* quia quodammodo est conditionalis, & animus Principis non est novum jus dare, sed tantum præexistens roborare. Hinc privilegia per Papam, vel Tridentinum revocata, si postea in forma communi confirmentur, non reviviscunt: secus est, si in forma speciali confirmentur.

291 *Confirmatio in forma speciali* est, quando cum exacta negotij notitia, omnibusque illius circumstantijs accuratè examinatis, actum inferioris confirmat superior: v. gr. si in confirmatione apponantur hæc clausulæ: *Ex certa scientia, ex plenitudine potestatis: vel supplendo omnes juris, & facti defectus: vel non obstante contraria dispositione: vel alia similes;* vel si actus confirmatio à confirmante iteretur, vel aliter constet, cum plena cognitione, velle superiorem actum confirmare. Vel si in confirmatione inseratur totus tenor actus confirmati. *c. 8. b. t.* Et tunc confirmantur etiam ea, quæ præsumitur Princeps ignorare, ut statuta; & consuetudines. Speciales locorum, quæ alias etiam ex clausula *ex certa scientia*: non confirmantur. *Barbos. in c. 4. b. t.* Confirmatio igitur specialis æquivalere novæ concessioni, ac proinde novum jus actui confirmato tribuit, suppletque defectus, qui in eo interveniunt, est forte invalidus erat,

validum reddit. *c. 1. de Transfation. & Gloss. ibid. Suar. de Legib. lib. 8. c. 18. n. 12. Gonz. in c. 2. b. t. n. 5.* nisi actus laboreet defectu indispensabili à confirmante: v. gr. si est contra Jus Naturale, Divinum; & Gentium; vel talis, ut licet possit, non tamen solet confirmans dispensare. Quippe tunc specialis mentio requiritur, *c. 31. de Reg. jur. in 6.* vel si sit in tertij præjudicium: quoniam non præsumitur, Principem tertio velle præjudicare; nisi hoc specialiter exprimat. *c. 15. de Offic. delegat.* Confirmatio super sententia, à qua erat appellatum non valet, si appellatus malitiosè prevenit appellantem: alias pendet, donec de appellatione cognoscatur. *c. 3. b. t.* Nec valet, item confirmatio, quam Religiosus impetravit à Papa super temporalis administratione, seu Prioratu, si tacuit, se Religiosum: si verò expressit, rescriptum præsumitur falsum: quia Papa non solet hoc concedere. *c. 5. c. 6. b. t.* Nec tenet sententia, seu laudum contra formam juris, vel compromissi latum per arbitros, licet per Papam fuerit in forma communi confirmatum. *c. 7. b. t.* item collatio Ecclesie alicui facta per Legatum, & Papam confirmata non hædit Jus Diocesani. *c. 9. b. t.* Sitamen dubitetur, an confirmatio sit vera, vel falsa, legitima, seu illegitima, non potest de hoc principaliter cognoscere iudex

inferior, potest tamen incidere; *arg. c. 9. de in Integr. restit. l. 3. c. de Judic. v. g. si sciat, actum à Papa, in forma communi confirmatum, esse invalidum, accessorie pronuntiat confirmationem esse nullam. Vel si confirmatio sit subreptitia, vel de re litigiosa. c. 1. c. 2. b. t.* secus est si dubitetur, an in forma communi, vel specialiter sit facta, ut sciat, an possit de re confirmata judicare. Nam tunc de tali confirmatione nequit inferri judicare. *c. 1. b. t.* Quando instrumenta privilegiorum per veritatem sunt consumpta innovari solent: sed cum hæc innovatio tantum sit materialis nullum novum jus tribuit. *c. 4. b. t. c. 13. c. 29. de Privileg.* si verò ipsa gratia, vel privilegium confirmetur à Principe, si hoc in forma communi faciat, nihil de novo addit, nisi majorem firmitatem, si in forma speciali fiat, gratiam; & jus de novo confert hæc confirmatio. Et si forte privilegium per non usum, vel usum contrarium, vel revocationem sit amissum, illud reviviscere facit. *Suar. de Legib. lib. 8. c. 20. n. 8.* ubi alios citat, refertque, hanc fuisse sententiam doctissimorum virorum Salmanticensium. *Barbos. in c. 4. b. t. n. 18. & alij.* Hæc de judicij dixisse sufficiat, nec nobis datum est hanc materiam velis expansis navigare, sed tantum oram adlabere permisit, siquidem incunctanter properamus ad metam.

LIBER III. DECRETALIAM.

GREGOR. IX. PONTIF. MAX.

TITUL. I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM

CUM Clericorum vita sit quasi speculum, & norma vivendi toti Populo. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 1. l. 57. tit. 5. p. 1.* ibi: *Querdamente debén los Perlados traer sus sciencias, como omes, de quien los otros toman exemplo.* Hinc est, quod debent non solum alijs scandalum non dare, sed cæteros suo exemplo edificare. Sanè Clerici, & beneficiarii, etiam in minoribus constituti, ut per decentiam habitus extrinseci etiam honestatem

intrinsecam ostendant, debent deferre vestem, & coronam, seu tonsuram suo ordini congruentem: quod si non faciant ultra peccatum grave, quod regularitèr committunt, puniuntur suspensione ab ordinibus, officio, & beneficio: & si semel correpti denuò delinquant, coercendi sunt per privationem officiorum, & beneficiorum. *c. 15. h. t. c. 1. 2. eod. Trid. sess. 14. de Ref. cap. 6.* Sed ut hæc pœnæ incurrantur, est necessarium, ut Clericus habitum perseveranter non ferat, ita ut

com-